IOANNIS VVIERI DE LAMIIS LIBER:

ITEM
DE COMMENTITIIS IEIVNIIS.

Cum Rerum ac uerborum copioſo INDICE.

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA IN ROMA



Cum Cæſ.Maieſt.Regisq; Galliarum gratia & priuilegio.

BASILEAE, EX OFFICINA Oporiniana. 1577.



EFFIGIES IOANNIS WIERI ANNO
ÆTATIS LX. SALVTIS M.D.LXXVI.

ILLVSTRI ET GENEROSO DOMINO, D. ARNOLDO COMITI BENTHEMII, TIchelenburgi, Steinfordiæ, Domino in Rheed & Vuiuelichouen, IOANNES VVIERVS fœlicitatem.



IPSA re comperio uerißimũ eſſe, Comes illuſtris, quod tam multis retrò annis diuinus ille præco et Apoſtolus Chriſti Paulus, ſuum inſtituens Timotheũ, uaticinatus eſt, in poſtremis ſcilicet temporibus futuros, qui à fide deſciſcent, ſpiritibus impoſtoribus & doctrinis dæmoniorum adhærentes. Quanquam enim ante Chriſti tempora ſuis ludibrijs uniuerſum terrarum orbem uariè conſpurcarat diabolus, aduentu tamen æterni illius Dei filij euaneſcere cœperunt innumeræ dæmonum præſtigiæ, ceſſaruntq́ paßim oracula, & quæcunq́ diuinationum impiarum genera. Hinc & legationis ſuæ miniſterio ultra annos triginta perfungens Chriſtus, doctrina & opere fraudulentos Satanæ conatus fortiter oppugnando repreßit infregitq́, ſuis poſtea diſcipulis eandem prouinciã committens: qui porrò ſumma fide & indefeſſo labore ſtrenuam hîc nauarunt operam, & Satanæ regnum undiq́ adorſi, tantùm non funditùs illud euerterunt. Verùm enimuerò quum indormientibus huic ſtudio poſteris, Euangelicæ ueritatis lux rurſus cœpiſſet obſcurari, neruum ille denuò nactus, uarijs technis, & quibuſcunq́ nouis illuſionibus (cuiuſmodi ſunt & illæ, quarum falsò inſimulantur noſtræ Lamiæ) Chriſti doctrinam peſſundare, hominum mentes effaſcinare, oculosq́ perſtringere conatus eſt. Quæ grauis tũc fuit ruina Eccleſiæ: cuius tamen reliquias multos annos, ſub denſa licet caligine, conſeruare adhuc ex immenſa miſericordia dignatus eſt benignißimus Deus. Interea uerò ſingulari illo ſplendore deſtituti mortales, neq́ uerum exquirere, neq́ falſa dijudicare potuerũt: ſed imprudenter omnino, quaſi luce menti erepta, huc & illuc fluctuantes, cæco quodam affectuum ductu, & illuſionum dæmoniacarum impulſu, in quoſcunq́ etiam craßißimos errores, ceu perpetuæ obſcuritatis latebras prociderunt, donec tandem clemẽter ſuos reſpexerit cœleſtis pater, & abactis quas Satan offuderat umbris, nos totos iterũ ueritatis ſuæ radijs ex gratia illuſtrarit. Eoq́ nomine quicunq́ noſtro hoc æuo luminis illius ſunt facti participes, gratias numini diuino debẽt infinitas, quippe qui genuinam filij Dei doctrinam à uanis hominum perſuaſionibus, & inſidioſis diaboli machinationibus ſolertius diſtinguẽtes, illam uera fide & ardenti zelo religioſè amplexi ſunt, has ediuerſò conſtanter damnarunt & reiecerunt. Quocirca etiã plures nunc annos conatuum ſuorum effectu multum fruſtrari ſe, ſenſit iratus ille generis humani hoſtis, & mille artiũ architectus: ut proinde ditionis Chriſtianæ pomœrium longius quotidie extenſum iri, communis piorum omnium ſpes eſſet. Cæterum

uiceuerſa iam nunc extrema adeſſe tempora, quæ uas illud electionis tot annorum interuallo prædixiſſe monuit, uel hinc manifeſtò liquet, quòd præter enatas in ciuilibus hiſce motibus ac inteſtinis bellis enormium flagitiorum erynnes, præter datam impunè quiduis ferè perpetrandi licentiam, amentiũ denuò anicularum mactationes & hoſtiæ (mira odoris fragrantia ſatanæ nares feriente) aliquandiu ſepultæ, crudeliter in lucem reuocentur, non modò à ſupremis tam Eccleſiaſtici quàm politici ordinis Magiſtratibus, qui ad exortum cœlitùs ueritatis ſolem cæcutire, quàm diabolica hæc ſtratagemata intelligere malunt, uerùm etiam ab illis qui diuinorum myſteriorum cognitione & uocis cœleſtis intelligentia mirè ſibi placent. At profectò non ab æterno illo bonitatis & miſericordiæ fonte, innocentium huiuſmodi lanienæ ortum habent: uerùm ab immaniſſimo uniuerſæ mortalitatis, & potiſſimùm Eccleſiæ Chriſti aduerſario tales ſuggeruntur carnificinæ. quibus etſi me ualidis præſidijs oppoſuerim in editione ſex librorum de Præſtigijs dæmonum: tamen ubi phalarides denuò contra noſtras Lamias nemini noxias citra exactam cauſæ cognitionem reparari uiderem, meam de ijs ſententiam quàm potui breuiſſimè cõtrahere uolui, ac omnium oculis clarè inſpectandã proponere, ut pluribus ſuccincta huius labyrinthi explicatione delectatis inſeruiatur, nec tantum innoxij ſanguinis confusè effundatur. Huic appendicem de Commentitijs ieiunijs addidi, maximè ob ementitam Barbaræ Vnuenſis, duodecim annorum puellæ abſtinentiam, quæ tamẽ pro uera publicis ſcriptis non modò per Germaniã, ſed apud exteros quoq; euulgata celebrataq; fuit. Hos obulos duos cum paupercula uidua ad templi ædificationem in gazophylacium offero. Si quis ſe ditiorem ſenſerit, is meam inopiam pro ſuæ facultatis ubertate citra controuerſiæ affectũ ſupplere, uel ſaltem ſubleuare ſtudeat: uni ſiquidem non quiduis datum eſſe, libenter agnoſco: quicquid autem id eſt, pluribus quidem prodeſſe, nemini uerò obeſſe poterit. Hunc porrò laborem tuæ Clementiæ nuncupare conſecrareq; uolui iuſtis de cauſis, eiſq; multis. Quum etenim ad ditionum tuarum adminiſtrationem perueneris, atq; in eiſdem, quemadmodũ & in circumiacentibus prouincijs, ſuos excitarit perpetuus mortalium hoſtis, homicida ab initio, atq; efferatus omnis tranquillitatis euerſor, qui ipſius ludibrijs dementati, de ijs impoſturis & actionibus quæ Lamijs, quas dicunt, hactenus tumultuariè attribuuntur, imprudentius cenſent, tuæ Clem. hoc noſtrum ſcriptum, uelut filum cuius ductu ex hoc labyrintho extricari ſecurè queas, offerre uolui. Eò autem tibi gratius id fore, mihi perſuadeo, quòd optimè in puriori doctrina Chriſti & uera religione inſtitutus, non tam facilem te diabolicis machinationibus fallacijſq;, uel humanis etiam fraudibus dedas. Cuius rei quàm memorabile exemplum, mihi non ignotum, haud ita pridem à tua Clem. Benthemij editum eſt, ubi heroico filio fœliciter, auxilio cœleſtis gratiæ donabaris loco alijs inauſpicato, ex illuſtri inſigniterq; pia tuæ uitæ ſocia, Domina Magdalena uetuſtiſſimæ Nitvenariorum Comitum domus filia. Adhæc, quum in optimis ſis enutritus diſciplinis, de noſtro hoc labore, uel potius paradoxis, tu doctus, pronunciare certius poteris: talem profectò lucubrationum noſtrarum cenſorem requiro & patronum. Hic inſignem tuam modeſtiam, innatam naturæ bonitatem, ac illuſtrem tuam humanitatem, eximiæ magnitudini coniunctã, cum reliquis egregijs tam animi quàm cor

poris dotibus, ne quidem attingere uolo, ne magis hoc laudũ cumulo, adulationis ſuſpicionem incurram, quàm te iuſto celebrem encomio, quod doctiorem requirit ſtylum, & longiorem poſtulat orationem. Quapropter et nihil dicam de peruetuſta generis claritate, auorum & proauorum ordine nobiliſsimo: nihil de matre Domina Anna indolis raræ matrona, ex illuſtriſsima Heſſorum ſtirpe oriunda, optimè de me merita: nihil item de affinitate, qua potẽtiſsimo pijſsimoq́ totius Germaniæ Principi, Palatino Electori D. Friderico per Dominam Amiliam nunquam ſatis laudatam ipſius Celſit. coniugem, ac tuæ uxoris ſororem, coniũctiſsimè unitus es. Quorſum hic ieiunè recenſenda, quæ cunctis multa cum laude tua innotuere? Hoc ſolum quàm ſubmiſſe oro, ut beneuolo animo hoc meæ erga tuam Clem. obſeruantiæ argumentũ complectaris. Sic me non impegiſſe in tetrum illud ἀχαριστίας crimen, in animũ inducam: quàm etenim tuæ Clem. ſim obſtrictus ob tuorum in me beneficiorum cumulum, non ſum neſcius. Viciſsim itaq; me totum, & quicquid in me eſt, tibi offero dedicoq́, ac meam poſteritatem tuæ Clem. commendo: Deum Opt. Max. à quo uno ſalus omnis petenda, ſuppliciter deprecans, ut pro immenſa bonitate ſua te & pijſsimam coniugem ab omni malo conſeruare cunctis diebus uitæ ueſtræ dignetur, quo Spartam quam nactus es, feliciter exornare, & commiſſo gregi fideliter beateq́ præeſſe queas.

SATIS iuſtas Deo Optimo Maximo gratias agere nequeo, quòd meo calamo tale ſuppeditarit ſcribendi argumentum, cuius publicatione effectum ſit, ut & plurimis in locis deferbuerit ſæuitia graſſandi in ſanguinem innocentem: & truculenta atrocitas ac diaboli tyrannis à laniena humana, qua nullum ipſi fragrantius eſt holocauſtum, arceatur. Video enim, librorum de Præſtigijs dæmonum editione me eam conſequutum uſuram, ut celebriores quidam magiſtratus miſerrimas anus, quæ odioſo lamiarum nomine apud plebeia iudicia notantur; non ſolùm mitius tractent, uerumetiam à capitali ſupplicio abſoluant contra conſuetudinem diuturna temporum præſcriptione & auctoritatis prȩiudicio inductam. Quinetiam frequentes cõgratulationes hominum eruditiſsimorum cuiuſcunque etiam profeſsionis, ſtatus, & religionis, prolixè teſtantur meas lucubrationes nõ eſſe infructuoſas, quum in meam ſententiam ſua approbatione deſcendere uideantur. Poſtquam uerò longioris tractationis (quam tamen argumenti difficultas & magnitudo poſtulat) tȩdio eoſdẽ libros ſubſultim uel inſpici ſolùm, uel perfunctoriè legi à quibuſdam, nec argumentorum uim ſatis perpendi intelligam: quæ de lamijs diſcutiẽda obueniunt, breuibus proponere uolui, ne quid delicatulum lectorem à iudicij noſtri cognitione penitiore tardaret.

Cæterùm fermè fit, ut mota diſputatione de lamiarum actionibus, ſacræ mox Scripturæ teſtimonia obijciantur, in quibus magi uel malefici ſiue incantatoris aut etiam præſtigiatoris, ut alij interpretantur, ſiue uenefici nomen legitur, eoque denotari nuncupatas uulgò lamias uel ſagas, ſtatim indiſtinctius aſſeratur. Comperio autem, prodigioſos hos homines cum ſuis artibus, præſtigijs illicitisque diuinationibus, uariè à Rabinis & Hebræis interpretibus exponi, diuerſis etiam nominibus reddi à noſtris Latinis, nec Hebraiſmo exactè, uel Latinæ tranſlationi conſonare Græcam. Manifeſtius id erit, ſi contextum Hebraicum cum quacunque uerſione non oſcitanter contuleris, Rabinorumque & interpretum iudicia attentius obſeruaueris omnibus his locis, ubicunque ulla horum portentorum fit mentio: quemadmodum Exodi cap.7.8.9.22. Leuit. 19.20. Deuter.18. Hierem.27. Daniel.2. 4 Reg.21. 2 Paralip.33. & reliquis.

Conuenientiſsimum itaque arbitratus ſum, exulceratiſsimo potiſsimùm hoc ſeculo, & tam adhuc in dæmoniacarum eiuſcemodi impoſturarum dignotione & cenſura indocto rudique, primùm Lamias ab alijs quibuſcum ſine diſcrimine utplurimùm confunduntur, ſeiungere, ne tenebras offundat in illa opinionum uarietate, uocum & nominum permixtio, unde res ſæpenumerò inextricabilibus adeò implicantur inuolucris, ut uix ullus poſtea ſe Theſeus offerat, cuius ductu aliquis commonſtretur exitus. Talis profectò hactenus extitit infamis magiæ, incantationum & ueneficiorum labyrinthus. Hac ratione internoſcentur clarius, de quibus mihi hic ſermo erit: conſtabit & palàm, ubi ab aliorum malè inolita opinione, rationis & ſacroſanctæ

Scripturæ

Scripturæ baſi firmiter innixus, non temerè diſſentiam.

QVID MAGVS INFAMIS.

Caput I.

Magus infamis.

MAgi infamis nomē generalius erit, nec tam anguſtis conſtrictum cancellis: lamiarum uerò & ueneficarum appellatio ſtrictioribus circumſcribetur limitibus. Magum ſiquidem nuncupo, qui à dæmone uel ab alijs aut è libris uoluntariè edoctus, prǽſcripta barbarorum, ignotorum aut cognitorum uerborum formula, recitata, ſubmurmurata applicatáue: uel characteribus quibuſcunque aut exorciſmis dirisq́ue execrationibus aut ceremonijs, ſolennibus ritibus, aut rebus plerunque adiunctis, pro ſuo arbitrio, dæmonem in præſtigioſum, fallax uel alioqui ludicrum miniſterium, illicitè euocare conatur, ut aſcititia ſeſe uel conſpicua oſtendat imagine, uel aliter prodat, & ad quæſita uel uoce uel ſuſurro, ſiue picturis, ſiue notis, ſeu quocunque alio modo reſpondeat: uel qui aliud opus ſimili ratione præter naturæ legem perficere nititur. Sub hoc etiam nomine illos comprehendo, qui ab Hebræis, Græcis & Latinis hic uarijs dicti nominibus ſuperſtitioſè modoq́; uetito futura prædicunt.

Ἐπῳδός.

Hunc magum γόητα uel ἐπῳδὸν (licet hæc uox minus generale magorum ſit nomen) Græcis dictum, ſupra naturæ ordinem ſæpe etiam aliquid moliri apparet in formādo multifariam aëre ficto, in quacunque ſpecie oſtentanda, in mortuorum ſpectris educendis, in rerum abſtruſarum aut alioqui longè diſsitarū commonſtratione: breuiter, miracula hic facere creditur: quem honeſtiore uocabulo etiam θεουργὸν uocare audent, licet quodam diſcerniculo, quaſi illum ut artibus illicitis deditum cenſeant damnandum, hunc uerò laudabilem: quamuis utrique ſint ritibus dæmonum fallacibus obſtricti ſub angelorum nominibus.

Θεουργός.

Huius factionis fuere famoſi illi Pharaonis magi, qui mox ubi de lamijs diſceptatur conſultatúrue, ab omnibus obtruduntur, quaſi ijdem utrorumque ſint actus, quos longè lateq́; differre ſentio. Vt igitur omnium obtutui hæc magorū poteſtas uel potius fabula & ludibria magis pateant, clariusq́ue innoteſcat horum & illarū diſcretio, agite oculis minimè deluſis contemplemur, ſolertiq́ue indagine inueſtigemus magorum uel maleficorum Pharaonis conatus, opera & potentiam.

Exo... Veri... form... in op... ſis.

In manu Moſis, electi omnipotentis Dei ad Pharaonem legati, uirga reuera in uiuum, Dei uerbo, transformatur draconem uel ſerpentem. Quo documento ſe à Deo cœli & terræ & omnium quæ in eis ſunt, conditore unico (cuius quippe ſolius eſt creare, & res uerè tranſmutare) miſſum eſſe teſtatur. Quòd autem idipſum à Pharaonis magis, carminibus factum Scriptura dicit, rem altius introſpiciēs, non eandem quæ à Moſe uerè oſtenſa eſt, metamorphoſin, ſed ſaltem ſerpentis præſtigioſam formam, obtutibus impij regis offuſam apparuiſſe intelliget: quare etiam mendax ſerpentis magicę uanitatis facies, in præſtigij reuelationem à uero Moſis ſerpente deuorabatur, uti mendacium à ueritate uincitur abſorbeturq́;. Propterea, Ioſepho teſte, Moſes inquit: Iam declarabo manifeſtè, non eſſe hęc præſtigias ueritatis ſpecie parum cautis imponentes, ſed ipſiſsimam Dei uirtutem, argumentum omnipotentis illius uoluntatis apud incredulos futuram. & cum dicto uirgam in terram mittit, iubēs ut fiat ſerpens: quæ

Pra... Mag... Pha...

Lib. ... An... daic.

mox dicto parens, Aegyptiorum uirgas, quæ ſerpentum ſpecie reptabant, unam poſt aliam aggreſſa, omnes ad unam deuorauit. Enimuerò ſi uerus extitit magorum ſerpens, dæmonis ope ex uirga ita transformatum eſſe oportuit. ineptam autē prorſus eſſe ut in uiuam beſtiam tranſmutari queat, uirgæ materiem, cuius liquidò conſtat: quemadmodum creare etiam ex nihilo, uel rem in multò diſsimillimam aut etiam contrariam pro ſuo arbitrio uerè transfundere eſſentiam, penes diabolum eſt minimè. Corpoream materiam non ſubijci potentiæ dæmonis, quantum ad tranſmutationem ipſius ad formam, con-
init. firmat Auguſtinus: Non eſt putãdum, inquiens, iſtis tranſgreſſoribus angelis ad nutum ſeruire hanc rerum uiſibilium materiem, ſed ſoli Deo. Fatendum tamen, dæmones etiam celeritate incredibili quibuſdã rebus emotis, ſerpentes, dracones uel quid aliud earum loco ſubijcere poſſe. Magi ſigna uidebantur potius facere, quàm
ogr. faciebant, ait Clemens. Rectè hic Iamblichus de Myſterijs: Quæ faſcinati imaginamur, præter imaginamenta, nullam habent actionis & eſſentiæ ueritatem. Eiuſmodi nanq; finis eſt magicæ artis, non facere ſimpliciter, ſed uſque ad apparentiam imaginamenta porrigere, quorum mox nec uola (quod dicitur) nec ueſtigium apparet.

Eodem cenſendum modo de reliquis ſignis, quòd nimirum Moſes eleuans manum, uirga ferierit fluminis aquã coram Pharaone & ſeruis eius, quæ tota mutata eſt in ſanguinē: mortuiſque piſcibus tantus extitit fluminis fœtor, ut Ægyptij de eius aqua bibere non poſſent, totaque Aegyptus ſanguine redundaret. Idem ſuis incantationibus Aegyptiorum magi effecerunt, à quibus plerique omnes Ægyptij idololatræ & idonea ſatanæ organa pendebant, quorum oculis cuiuſcunq; coloris aut imaginis ſpectrũ fraudulenter offerre, Dei permiſſu, dæmonio facile erat, ut cor illud Pharaonis (quod Deus præuidebat fore ut induraretur) iuſto Dei iudicio, maiori occalleſceret duritie, meritamque tandem ille lueret pœnam. Magorum autem fuiſſe præſtigias facinus illud, uel hinc palàm eſt, quòd unicus ille Ægypti fluuius Nilus in ſanguinē conuerſus erat, eiuſque piſces computruerant opera Moſis ſerui Dei. Nec ulla præterea erat reliqua uniuerſæ Ægypti aqua non tincta, ut Ægyptios omnes undique circum flumen aquam effodere quam biberent, oporteret. Vnde proculdubio colligendum, magos tantummodò pauculæ aquæ antea in uaſe conſeruatæ uel effoſſæ rubicundam præſtigiosè faciem oſtendiſſe ſuis carminibus uel faſcino, ut teſtatur Scriptura, hoc eſt ludificante dæmonum operatione, qui etiam agitatis ad hanc deluſionem cōmodis humoribus, ſpiritum opticum uel uiſualem quibuſcunq; imaginibus imbuere queunt, quemadmodum plerisque melãcholicis uſuuenire obſeruamus: atq; in hypochymatis uel ſuffuſionis oculorum initio ex humoris affluxu ad uiſus organa ueluti puſillos culices obuerſari intelligimus, interdũ quaſi ducentia quædã corpuſcula, plerunq; ueluti caliginoſa ſe oculis offerre, nōnullis tanquam lanarum filamenta & aranearũ telas apparere, quibuſdã circa lucernas circulos uideri: item plerisq; regio morbo laborantibus, propter ſuffuſam bilē omnia lutea & flaueſcentia ſeſe oſtēdere. atq; hæc fiunt magis uel minus, hac uel illa forma, ſecundum humorum & ſpirituum uiſoriorũ conſtitutionē, quemadmodũ naturę peritis cognitũ perſpectũq; eſt.

Quid

Exod. 8. *Ranæ Ægyptiæ.*

Quid aliud dicendũ de ranis ex Ægypti fluminibus eductis, quibus terra eſt cooperta, Aarone ex Dei mandato manu uirgam in fluuios & lacus protendente? Magorum ranas ſolùmodò fuiſſe eadẽ ratione merè imaginarias, hinc luce meridiana clarius euadit, quòd tantam ranarum colluuiem eos creare oportuiſſet, munus ſoli Deo peculiare, nec ulli unquam creaturę, multò minus ſatanæ eiuſúe clientelæ conceſſum. Singularis hæc Dei ab initio fuit & manſit prærogatiua, qua alium nullum dignatus eſt unquam. Adhæc, ſi ueras in terram ex aqua magi produxiſſent ranas, utiq; & reducere uniuerſum hoc ranarum genus eadem arte potuiſſent. Procliuius etenim fuit multò, uiſas in natiuum naturalemq; ſuũ locum, fluuiũ quippe & lacus repellere, quàm in domos, penetralia, cubicula, cubilia, furnos, cellas, loca hiſce animalibus aliena, imò aduerſiſsima, primùm eas nõ apparentes excire, ubi illis moriendum eſſet: quũ in aquis, ut deſignato his uiuario, liberè uictitent: aut ſaltem uitam illis adimere, quibus donaſſe uidebãtur, facilimum fuiſſet. Vel quã ſortitos credemus magos nocẽdi aut perficiẽdi potẽtiã, ſi ne ranas quidẽ lædere, aut carminibus, quibus eductę putabantur, tantùm abigere ualuerunt? Hoc uſqueadeò nequiuerũt, ut Pharao rex poſito priore ſupercilio coactus fuerit ſuos aduerſarios Aaronem & Moſem hortari, ut Deum pro depellendis à ſe ſuoque populo ranis deprecarentur. Quod etiam ita factum eſt, definitoq; die rãnæ ſunt exterminatæ à domibus, eiſdemq; mortuis in cumulum coaceruatis fœtebat regio. Sic Pharaonem etiam inuitum Domino Deo incomparabili honorẽ deferre oportuit: quemadmodũ & ipſos magos, penes quos ea poteſtas mĩnimè fuit. Nam quũ Deo nõ amplius

Geneſ. 1.

Creare ſolius Dei eſt.

præſtigias permittente, cyniphes uel pediculos, tum homines tũ beſtias infeſtantes producere, Aaronem & Moſem imitati, nequicquã tentaſſent: coram Pharaone confeſsi ſunt, Digitus Dei hic eſt: quaſi dicerent, Digitus uel potẽtia Dei eſt, quæ uerè progignit & condit ex puluere, uel etiam nihilo, quicquid pro ſuo arbitrio uult, & quãdo illi placitum eſt. Id uerò quod à nobis effictum uidiſti, ſatanæ digitus eſt, qui nihil unquam reuera procreare, ſed phantaſticam ſolùm rerum imaginem doloſè oſtẽtare poteſt: quare nos eius clientes, miniſtrorũ ipſius omnipotentis Dei ueritatem imitati ſumus præſtigijs, quibus te ac tuũ populum hactenus illuſimus, Deo uero ob tuã incredulitatem & cordis duritiẽ conniuente. At ceſſat nunc illa permiſsionis hora, ut non amplius dęmonij ludibrijs relinquatur locus, ſed Dei uiuentis ueritati teſtimoniũ perhibere cogamur. Ita Dei manũ iam agnoſcunt, qui ei antea ſuis impoſturis derogarunt: Dei gloriam prædicãt, qui ſuis eam fucis prius obſcurarunt. Nec poſtea uiuũ uſqueadeò Deũ glorificaſſent, niſi antea impediti, fruſtra ſuã tentaſſent artem. Nec Deo tam iuſta puniendi contumaces occaſio fuiſſet reliqua, niſi ad præſtigias prius cõniuiſſet, deinde impedijſſet, quo ſe ſuamq; potentiã notam faceret, oſtenderetq; illam longè eſſe aliam, ac ueluti ex diametro pugnantem cum ea quam Ægyptij idololatrę & magi in ueri Dei contemptum hactenus adeò uenerati eſſent. Iuſtinus martyr in explicationibus quæſtionum Chriſtianis propoſitarũ quęſtione 26. aſſerit, magorum Pharaonis miracula non fuiſſe uera, ſed ſpectantium faſcinatione oculorũ opera dæmonum. Idipſum & in Decretis legitur, in 2. parte cap. 26. quæſt. 5. Epiſcopi. Quin & Auitus Alcimus epiſcopus

Lu

Viennenſis, qui claruit ſub Zenone & Anaſtaſio Impp. anno 490. eandem quam tuemur ſententiam, elegantiſsimis uerſibus exprimit lib.2. de peccato orig. Hos Ægyptios incantatores Iannem & Mambrẽ fuiſſe, ſcribit Fulgoſus lib.8.cap.11.

Hi incantatores, magiam prophanam exercentes, aut ſi uoles, prꝑſtigiatores, Hebræis dicuntur hartumim, Græcis *ἐπῳδοί*. Vox item illorum Habar traducitur Latinè incantare, *ἐπᾴδειν* Græcè, quando ſcilicet arcana quædam uerba à magis muſſantur, quibus efficacia ineſſe mira putatur. Quale illud eſt Virgilij noſtri:

Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

Quin & Dauid eiuſcemodi miracula fieri per tales incantationes uidetur de aſpide ſurda ſignificare, cuius mẽtionem facit Pſal.58. Quo loco utitur uerbo iſto Habar, & ſimul uerbo Lahas, quod idem ſignificat.

DE MALEFICA IN *Endor. Cap.II.*

HInc porrò ad mulierem in Endor maleficam, uel Pythonis ſpiritu imprægnatam confugitur, quaſi & illa fuerit una ex Lamiarum noſtrarum numero, ſed & eam fuiſſe magicæ artis conſciam, quæ dæmonis adminiculo freta illudebat decipiebatque, & propterea à Lamijs noſtris fuiſſe alienam, oſtendere conabor.

Hæc Samuelem excitaſſe legitur, è terra aſcendentem ſolito corporis habitu & ueſtitu, ac futura in Dei manu adhuc poſita prædicentem. Eccleſiaſtici quoq; author tradit, ipſius Samuelis hæc acta & uaticinia fuiſſe, quum ait: eum dormiuiſſe, regi notum feciſſe finem uitæ ſuæ, exaltauiſſe uocem ſuam è terra, & uaticinatum eſſe, Delendam eſſe impietatem gentium.

Etſi uerò hiſtoriæ circumſtantiæ, & Ieſus Syrach aſſerere uideantur, ipſum apparuiſſe Samuelem: penitius tamen rem intuenti oſtendam, non ipſum Samuelem, ſed huius imagine diaboli ſpectrum, Pythiæ fœminæ libenter obſequutum, ut ludificaret, uiſum fuiſſe.

Primò diſertè ſeueroque edicto, à mortuis quæri ueritatem, uetuit diuina uox, mulcta mortis conſtituta: nec per eos doceri uult uiuos, nec ab ijs aliquas expectare patefactiones. Non inueniatur in te conſulens mortuos: qui hoc facit, eſt *βδέλυγμα* Deo ſuo: hoc eſt, res talis quam odit Deus, abominatur, & in æternam abijcit damnationem. Proinde nos ſuo uerbo, in quo ſeſe & uoluntatem ſuam expreſsè declarauit, inniti firmiſsimè uoluit Chriſtus, inquiens: Moſen habent & prophetas. *Deuter.18.* *Luc.16.*

Adhæc, animas maleficarum carminibus è deſignata à Deo ſede euocari, & in corpora inhumata compelli, uel falſiſsimum eſt: uel ne in ſinu quidem Abrahæ, loco beatis aſsignato, tutæ exiſtunt eorum animæ, in Domini manu conſeruatæ. At ſatanam nihil unquam ab hac morte in ſanctorum animas potuiſſe, nec bonos ſpiritus magicis artibus obedire: nec ſecretas ſemel à corporibus & collocatas in definitis ſedibus animas, ſi reuocentur, redire, ut ethnicis perſuaſum erat, confeſſum eſt hactenus: ſed aſcititia ſe illarum imagine oſtentant dæmones. Quocirca non à mortuis ipſis, uerùm à dæmonibus illorum habitu ueſtitis *νεκυομαντεῖς* reſponſa accipiebant: quæ, ſi illi integris & expreſsis mortuorum corporibus cernerentur, *νεκυομαντεία*: ſin uerò tenues, nebuloſas & euanidas ſibi circumfunderent umbras, *σκιομαντεία* nuncupabantur. Verè nimis Chryſoſtomus ait: Non anima defuncti eſt quæ dicit, Anima talis ego ſum: ſed dæmon, qui hæc, ut *Magorũ carminibus non obediunt beatorum animæ.* *νεκυομαντεία.* *σκιομαντεία.* *In Matth. homil.29.*

hominẽs

homines decipiat, ſic confingit. Ibidem: Animæ ſunt in loco certo, & expectát iudicium, neq; ſe inde poſſunt commouere.

Antea quoque Samuel plus minus biennio mortuus fuerat, & eius corpus ſi non omnino computruerat, tamẽ ita deformatum fuiſſe certum eſt, ut eximia illa ſpecie uiua, qua antea innotuerat, & qua nũc ſe denuò fictus ſiſtit Samuel, apparere nequiuerit: neque etiam deorum magnificentiam referre potuiſſe cadauerоſum corpus, quilibet nouit: quum tamen deos è terra aſcendere, ſe contueri affirmaret diuinatrix. multò quiuit minus loqui & uaticinari.

Quorſum etiam Samuelis pijſsimi uatis tam diu ſepulti corpus, pallium conſuetum eodem momento ex impiæ faſcinatricis mulierculæ imperio incorruptum aſſumpſiſſet, quod in ſepulchrum ſecum non aſſumpſit, nec eo amiciebatur mortuus? Hoc autem ſanctiſsimi uiri ſpectrum oſtentare, illi
1. Corinth. 11. fuiſſe facile, inficias ire nolo, qui ſe in lucis angelum transformat, cumprimis apud impium regem, tum perditam ſatanæ ſeruulam.

Deinde quum ipſa hiſtoria paulo antè teſtetur, Deum contumaci & abiecto regi Sauli ipſum conſulenti reſponſa dare noluiſſe, uel per uiuentes prophetas aut ſacerdotes, uel per ſomnia: multo minus per diuinum uatem ex morte ſuſcitatum, quem nec uiuum audire uoluit, uel per angelum è cœlis miſſum reſpondit regi, quem in furore ſuo omnino repudiarat: qui hoc etiam nomine motus Pythiam diuinatricem profeſsionis ergò publico edicto iuxta Dei uoluntatem ex Iſrael exulantem, furtiuè uerò latentem, iniqua ratione conſulere uoluit: quaſi indignabundi animi inſtitutum fuiſſet, *Flectere ſi nequeo ſuperos, Acheronta mouebo.* Ideo non potuit non odiſſe & execrari hoc factum Deus, & iuſto iudicio deploratam illuſione dæmoniaca Saulis impietatem contra ſuum & ipſius præceptum, contra etiam conſcientiæ teſtimonium deſignatam punire, ut in præfracti Saulis mentem ſatanæ faſcinum meritò permiſerit. Nec nouum aut inauditum hoc eſt, ubi quos pertinacis impietatis homines eſſe præuidet præſcitque, magis ſolet excæcare, indurare, ſpiritui mendacij relinquere, & in reprobam tradere mentem. Exemplum eſto Pharaonis inuicta pertinacia, fides mendacibus ſpiritibus data, & extrema inde punitio.

Quòd porrò hiſtoria commemorat, Samuelem ſenem pallium indutum, indignè tuliſſe, quòd è ſua quiete excitus eſſet, atque eum Sauli regi loquutum uaticinatumq; fuiſſe: hinc non conuincitur, uerum extitiſſe Samuelem hoc ſpectrum: quòd diabolo ſpiritui milleartifici non ſit difficile quamcunque formam mentiri, quiduis fingere, ſimulare, & de futuris iam antea uaticinio patefactis prædicere: maximè uerò, de quibus manifeſta præludia, & euentus minimè dubij indicia in foribus ferè uidebantur. Nec ignorauit ſatan, certiſsima eſſe quæ Sauli uaticinatus fuerat uir Dei Samuel: ideo à Samuele antea prædicta repetit, potuitque non temerè coniecturam facere ex apparatu hoſtium magnifico & inſtructis copijs, item ex dictis, factis & circumſtantijs reliquis belli præſentis, quam ſortem in eo conflictu aſſequeretur Saul: potiſsimùm quum ipſum à Deo abiectũ, nec reſipiſcentem, & aduerſus Dei mandatum poſtremò Pythiam uatem, diaboli mancipiũ conſulentẽ, in ſua haberet poteſtate, atque pro ſuo

impellere nutu, & præſentis prælij obijcere poſſet exitio. Ideoq; Saulem mortuum teſtatur Scriptura in tranſgreſsione ſua, qua præuaricatus erat contra Dominum: nempe contra Domini uerbum, quod non cuſtodiuit, & quòd Pythonem conſuluit interrogando, neq; requiſiuit Dominum: ob hoc interfecit eum, translato regno ad Dauidem filium Iſai.

Porrò ſi Ieſu Syrach teſtimonium urgeatur (quanquam Hieronymo teſte, illi ab Eccleſia non concedatur authoritas dogmata confirmandi eccleſiaſtica, nec rerum earundem controuerſias dirimendi: hæc tamen quoque addere libet, ne pia huius libri doctrina eleuari putetur, Ieſum Syrach ſolummodò ex primo Samuelis libro hiſtoriam proponere: quod factum eſt, ſimplici enarrare oratione, quemadmodum legitur, ut ad auitæ uirtutis æmulationem poſteros inuitaret prouocaretq;: Samuelis item laudes ſuccinctè recenſere, minimè differere uoluiſſe, uerâne an ficta fuerit Samuelis apparitio.

Inter Hebræorum autem Rabinos quanquam pauci aliter ſentiant, tamen Pythonum opus eſſe, ferè omnes cenſent: & nihil aliud præter præſtigias, uanitatem, mendacium & deceptionem. Samuelem intelligunt ſpiritum Pythonicum, qui induerat Samuelis ſpeciem: item Samuelem uiſum eſſe dicere Sauli. Mulier uidebat Samuelem, neq; tamen audiebat eum alloquentem Saulem: ſicuti nec Saul uidebat Samuelem, hoc eſt, illuſionem illam diabolicam, quæ uidebatur illi Samuel. Sunt inter eos qui hæc omnia mulieris putant arte conficta, quæ ex certis coniecturis ſic deluſerit Saulem. Kimhi contra aduerſarios ſic arguit: Si Deus ſuſcitauit Samuelem, ut futurum euentum indicaret Sauli: cur euentum illum non magis reuelauit per ſomnia, aut per prophetas, aut per ſacerdotum oracula, quàm per maleficam mulierem? Huic noſtræ ſententiæ ſubſcribunt Tertullianus in libro de anima, Iuſtinus martyr in explicat. quæſt. 52. Argutiſsimus ille ſanctioris Theologiæ cenſor Auguſtinus libro Quęſtionum ueteris & noui Teſtamenti, quæſt. 27. item part. 2. cap. 26. quæſt. 5. nec mirum. idem Auguſtinus ad Simplicianum, quæſt. 3. lib. 2. & ad Dulcitium quæſt. 6. & in libello de cura pro mortuis agenda: item lib. 2. de doctrina Chriſtiana, ca. 26. Author quoque libri de mirabilibus ſacrę ſcripturę, ſi is ſit Auguſtini: Rabanus adhęc in epiſt. ad Bonaſ. abbat. Bonos ſpiritus nō obedire carminibus magicis, teſtatur Origenes in hiſtoria de Bileamo.

DE SIMONE MAGO, ET *artis magicæ eiuſdemq; librorum condemnatione.* Cap. III.

IAm ad Simonem magum progredior, qui idem nomē apud noſtros Germanos ſortitur, quod lamię. Ex hoc ortus ingens hæreticorum numerus, qui ſicut Iannes & Mambres Moſi reſtiterunt, ſic & illi Apoſtolicæ ueritati oblatrarūt artibus fraudulentis. Hic Simon ille Samaritanus Romæ ſub *Simon Samaritanus.* Claudio Cæſare propter hanc rem ſtatua donatus eſt, cum hac inſcriptione: Simoni ſancto deo. Siquidē & Samariæ *Act. 8.* gentem magica arte ita dementauerat, ut à minimo uſq; ad maximum uniuerſa ab illo penderet, dicens: Hic eſt uirtus Dei magna. Poſt uarias autē præſtigias, quibus populū à Petri doctrina ſedulò auertere conatus eſt, tandem *Abdias epiſcop. Bab. lib. 1. cert. apoſt.* uelut in aëre uolans, à dæmonibus uectus, Petro orante, exaltatus dilabitur, miſereque interijt. Huius blaſphemias prolixè recenſent Clemens in Itinerario, Egeſippus lib. 3. de excidio Hieroſolymit. cap. 2. Ambroſius in Hexamer.

Hexamer. Irenęus, Euſebius, Nicephorus lib. 2. Eccleſ. hiſt. cap. 27. Fulgoſus lib. 8. cap. 11.

Eiuſdem fuit profeſsionis famoſiſſimus magus Cinops, quicum Ioanni Euangeliſtæ iuſſu Domitiani in Pathmo inſula, quę una eſt ex Sparadibus, exulanti cõtrouerſia erat, quem & Ioanne precante, fluctus abſorpſiſſe legimus.

Hanc magorũ artem omnium placita legum exterminant & execrãtur. Eiuſdem affectatores interdicũtur & damnantur ſeueriſsimo Dei mandato in Leuitico, tum etiam Deuteronomio: Non inueniatur in te ducens filium aut filiam in ignem, diuinans diuinationem, obſeruans dies, non diuinans ex ſortibus, non incantãs aut exercens præſtigias diabolicas, non conſulens Pythonẽ, non interrogans mortuos: quia abominatio eſt Domino omnis faciens hæc. Hinc & inter ſacrilega Manaſsis regis flagitia, quibus Deum irritauit, connumeratur, quòd fuerit maleficus, magiã exercuerit, & Pythonem conſuluerit. Quòd uerò hi tolerarentur audirenturq;, Eſaias uaticinatur caſum & interitum Babylonis, cui & inprimis exitio fuit huius ſceleratiſsimę artis ſtudium, quum ad ultimum à Cyro rege ſub Perſarum imperium redigeretur. Ita clamat diuinus Vates: Venient tibi duo hæc ſubitò in die uno, ſterilitas & uiduitas, propter multitudinem maleficiorum tuorum, & propter duritiem incantatorum tuorum uehemẽtem. Sta cum incantatoribus tuis, & cum multitudine maleficiorũ tuorũ, in quibus laboraſti ab adoleſcentia tua, ſi fortè quid proſit tibi. Quaſi diceret: Non te liberabũt plurimi magi aut diuini ſuis incãtationibus uarijs aut præſagijs. Meritò itaq; ſemper apud priſcos in quęſtione fuit, incantamenta ualerent ne aliquid, quum meræ ſint præſtigiæ.

Leuit. 19. 20. *Deuter. 18.* *4. Reg. 21.* *2. Paralip. 33.* *Eſaia 47.*

Porrò de magicis curioſarum harum artium uel præſtigiarum libris quid decerni debeat, ne quidẽ in quęſtionem uocandum, quum nõ modò Romanorũ exemplo (qui licet ethnici eſſent, tamen mathematicos & incantatores ſenatuſconſulto Italia pellendos, & eorum libros cõcremari uoluerunt) eos aboleri oportet: uerùm etiam, quòd memorabile & poſteris omnibus ſine controuerſia imitãdum hic exemplum legamus in Apoſtolorum Actis, ubi Pauli apoſtoli prædicatione Epheſi comburuntur cuncti eò comportati execrationum libri, pecuniæ quinquaginta milliũ pretio æſtimati. Hermogenes item magus librorum magicorum copiam magnam offert Iacobo apoſtolo, qui exurebãtur. Eos qui magiã admirati fuerant, uolumina combuſsiſſe, tradit Athanaſius de Humanit. uerbi. Imperatores item Homerus & Theodoſius conſtituerunt tales libros ſub epiſcoporũ oculis concremandos flammis. Eiuſmodi quoq; cõgeſtos tenebrarum libros ut damnabiles, improbatæ lectionis uocauit, prorſusq; corrumpi uoluit Vlpianus Iuriſconſultus, l. cæteræ. §. 1. ff. familiæ herciſc.

Atqui ab hac magorum uel incantatorum familia longè peregrinos eſſe, quos Veneficos, & quas Lamias dictitamus, nunc porrò demonſtrare conabimur.

DE VENEFICIS.

Cap. IIII.

VEneficos, uel ſi liceret, ueneniſicos, Gręci φαρμακοὺς, φαρμακοποιοὺς, φαρμακεῦσι, item φαρμακεύτας, & φαρμακευτρίας fœminas, pernicioſiſsimæ artis (quã magiam ueneficã, ſi uoles, appellare licet) conſcias, dicunt. Illos pharmacis uel uenenis ex quacunque materie, ſiue ex metallorum, ſiue

ex ſtirpium, ſiue ex animantium uel excrementorum genere, uel ex corporib. mixtis propinatis, illitis, aut alicubi reconditis ut halitu feriant, periculoſos ciere morbos cum atrociſsimis ſymptomatibus conſtat: ut alij in corporis extenuationem uiriumq́; imbecillitatem inducãtur: quibuſdam iuncturarum compages diſſoluantur: cæteri uariè cruciatibus excarnificentur: nonnullos uerò diuturna torqueri ægritudine: pleriſq́; præcipitãter, quaſi uitæ filo mox rupto, interdum & cum intolerabilibus doloribus uitam præſcindi uideas. Non interim ignoro, ueneficorũ nomine & alios maleficos uulgò comprehendi.

Horrenda ſunt quæ de Veneficis ſcribit Antonius Sabellicus in hæc uerba: Infamis inde annus ſequutus, M. Claudio Marcello, & T. Valerio Flacco (ſiue Potito, ut alij ſcripſerunt) conſulibus, quũ multi ex primoribus patrum ſimili morbo & euentu mortui eſſent: ancilla quædam ad Q. Fabium Maximũ Aedilem Curulẽ uenit, cauſamq́; eius cladis proditurã ſe profeſſa eſt, ſi fides ſibi daretur, quòd id indicium apud dominos haud futurũ eſſet ſibi noxæ. Fabius re ad Conſules delata, à Conſulibus ad Senatum, fide conſenſu ordinis indici data, patefactum eſt muliebri fraude eam cladem accidere: multas eſſe quæ in uirorum perniciem coquerent uenena: ac ſi ſecum eant, fore ut multæ ueneficio occupatæ deprehenderentur. Miſsi qui ancillam ſequerentur: hi quaſdã medicamenta coquẽtes, apud alias recondita inueniunt. Quibus in forum delatis, uigintiq́; numero matronis, apud quas id pharmaci genus fuerat deprehenſum, publicè accerſitis, & in his Cornelia & Seruilia patritiæ gentis: quæ quum ſalubria eſſe contenderẽt, à confutante indice bibere iuſſæ, ſpatio ad colloquendum ſumpto, inter ſe loquutæ, id haurire ſtatuunt: medicamento in conſpectu populi epoto, ad unam interiere. Inde ad centum ſeptuaginta eiuſdem ſceleris conuictæ, capitali ſunt ſupplicio affectæ. Atrocitas rei, quia ad eum diem in nullam de ueneficio unquam fuerat inquiſitũ, prodigij eſt loco habita, uelut alienatis furore mentibus, id flagitiũ perpetrari contigiſſet.

[Margin: ...lib. 4. — ...a hor... — In nullã antea de Veneficio inquiſitũ.]

Venefica fuit Creſcentij illius ſeditioſi Romani, eoq́; nomine ab Ottone tertio uili iumento facie auerſa impoſiti, perq́; urbem circumuecti, & tandẽ ad portam ſuſpenſi uxor: quam quum Imperator uirtute & ſapientia pręſtantiſsimus deperijſſet, illa quòd Ottone in Germaniam reditum apparante, ſe uideret coniugij ſpe excidiſſe, chirotecis ueneno infectis, eum necauit, anno 1001. quinto Calend. Febr.

Veneno ab uxore Zoe procaciſsimæ & intemperãtiſsimæ libidinis fœmina, quum deperiret Paphlagonem quendam Michaëlem, ſublatus Romanus Argyrus Imperator Orientis, qui priorem antea reliquerat coniugem.

Veneno lento interemptus Ioannes Cimiſces Orientis Imperator à Baſilio quodam eunucho, cui ſe potentiam derogaturum fuerat interminatus.

Veneficium adhæc fuit, quod Caſali in urbe Salaſsiæ regionis Italię contigit circiter annum Domini milleſimum quingenteſimũ triceſimum ſextum. Coniurauerunt uiri ac fœminæ, quadraginta ferè numero, inter quos & carnifex erat, ut quum peſtis antea ſęuijſſet, & iam cœpiſſet miteſcere, unguentum conficerent, quo illitis portarum ueſtibus, inficerẽtur qui ueſtes tractarent: appararant & puluerem, quem ueſtibus clàm inſpergentes, noxam inferebant. Latuit aliquandiu do-

lus, ſublatiq́; multi à coniunctis ſanguine uel affinitate: data etiam ueneficis, ut ferebatur, pecunia hæreditatis ergò. Sed quũ cuiuſdam Neci nomine fratrem atque unicum filium enecaſſent, uixq́; alij quàm domini ipſi domuũ aut filij perirẽt: ſimulq́; animaduertiſſent Androgynam ſe in domos inſinuare, atque eos maximè interire, quorũ ædes ingrederetur: deprehenſa coniuratione, omnes exquiſitiſsimis tormentis interempti ſunt. Faſsi etiã, quòd in celebri cuiuſdam Diui pompa ſubſellijs perunctis uniuerſos trucidare ciues decreuiſſent: paratasque in hũc uſum fuiſſe ſupra uiginti ollas. Idem poſtea Geneuæ tentarunt nonnulli, qui & pœnas dederunt. Alios ſimiliter Mediolani uectes inunxiſſe cõſtat: ſed quæſtionibus ſubiecti, quũ nihil confiterentur, nec quiſquã obijſſet, dimiſsi ſunt. Baſsianus Lãdus ſcribit, Pataulj monachum quẽdam cum alijs pleriſque identidem conſpiraſſe, qui peſtis tempore infecta linteamina in domos occultè conijciebant, ut in multos deriuaretur contagio: ſumptum quoque ab his eſt ſupplicium. Quàm ſanè hîc locum meretur ſuum illud Naſonis 1. Metamorph.

——Non hoſpes ab hoſpite tutus,
Non ſocer à genero, fratrũ quoq́; gratia rara eſt,
Imminet exitio uir coniugis, illa mariti,
Lucida terribiles miſcent aconita nouercæ,
Filius ante diem patrios inquirit in annos.

Venefici capite plectendi. Hos Veneficos lex Moſi è uita ſublatos uoluit Exodi 22. hoc decreto, מכשפה לא תחיה, id eſt, Veneficam non patieris uiuere. Nomen enim מכשפה *Mechaſſepha.* Mechaſſepha, quo lex utitur, à כשף Chaſaph deflectitur: poſitumque eſt in fœminino genere, ut aiunt interpretes: non quòd uiros impunes eſſe lex uelit, ſed quia ille ſexus ob genuinam ſimplicitatem dæmonis inſidijs frequentius patet. Quare Græca tralatio, quam Septuaginta ſenioribus aſſcribimus, decretum illud liberius reddidit, φαρμακοὺς οὐ περιβιώσετε: hoc eſt, Veneficos (ut maſculino genere fœmininum comprehendatur) non retinebitis in uita. Animaduertendũ uerò, prędictũ uocabulum כשף Chaſaph, & quæ ab ipſo deducuntur, uix uſquã in prædicta tralatione Græca aliter exponi, quàm ut ueneficium ſignificent: hoc eſt, hiſce Græcis uocabulis, φαρμακὸς, φαρμακεὺς, φάρμακα, & quæ huius ſunt inflexionis. Nec temerè mihi à pleriſq; ſinam eripi eleuariue translationis Septuaginta interpretum fidem, qui ſine dubio & peritiſsimi fuerunt idiomatis Hebraici, & Spiritus ſancti inſpiratione & ductu ad tã piũ congregati opus, ut non facilè erroris notã mereãtur, propter illorum multitudinem, & idcirco maior illis fides debeatur quàm Eliæ Leuitæ aut nonnullis recentioribus, qui Mechaſſepha Lamias interpretantur, Germanicè Zauberinn. Nam φαρμακῦ nomen quando in malam accipitur partem, ſemper apud Dioſcoridem, Galenum, & totam Græcorum antiquitatẽ ſumitur pro ueneno aut medicamẽto uenenoſo: & qui cum eiuſmodi medicamentis nocere ſtudent, uocantur φαρμακεύεις uel φαρμακοὶ. Prçterea huic noſtræ ſententiæ ſuffragatur Flauius Ioſephus natione Hebræus, qui decimumquartum agens annũ eam laudẽ conſequutus eſt ex literarũs ſtudijs, ut à Pontificibus & urbis Hieroſolymitanæ primoribus de penitiori legum ſenſu conſuleretur. Hic legis eiuſdem ſententiam, Antiquit. Iudaic. libro quarto, capite 8. his explicuit uerbis: φάρμακον μήτε θανάσιμον, μήτε τῶν εἰς ἄλλας βλάβας πεποιημένων ἰσραηλιτῶν ἐχέτω μηδ' εἷς. ἐὰν δὲ κεκτημένος φωραθῇ τεθνάτω, τῦτο πάσχων ὃ διέθηκεν ἐκείνους καθ' ὃς τὸ φάρμακον ἦν παρεσκευασμένον. id eſt, *Phar*

Venenum neque letale, neq; in alios noxios uſus præparatũ, Iſraelitarum aliquis habeat: quod ſi habere deprehenſus ſit, morte mulctetur, & patiatur, id quod facturus erat illis, aduerſus quos uenenũ parauerat. Idem ferè ſonat lex Cornelia de ſicarijs & ueneficis: Qui uenenũ malum necandi hominis cauſa fecerit uel uendiderit uel habuerit, plectitur. φάρμακα Ieſabelis, ueneficia uertit D. Hieronymus 4. Reg. 9. Adhæc ſi uetus Teſtamẽtum applicare uelimus ad nouum, comperiemus eodem uocabulo diuum Paulum uti in capite 5. ad Galat. φαρμακῶν, hoc eſt, ueneficorum, inter opera carnis, quod Germani uitioſe traduxerũt Zauberey, in quo ab Italis uincũtur, qui conuerterunt auuetenamento rectè. Si Paulus aliud genus maleficij intellexiſſet, alia uoce potuiſſet uti, aut repetere uerbũ βασκαίνεσθαι & βασκαίνειν, quod faſcinari & faſcinare deſignat: quo ſignificato Theocritus, Dioſcorides & ueteres utũtur, quinimò & ipſe Paulus in eadem epiſt. cap. 3. O' amentes Galatæ, τίς ὑμᾶς ἐβάσκανε, quis uos faſcinauit, ut non obediatis ueritati? Vbi Germani rectè tranſtulerunt, Wer hatt euch bezaubert? In Apocalypſeos quoque Ioannis cap. 9. ubi Homicidia tanquã generalis uox cædis ponitur prius, mox φαρμακεία ſequitur, id eſt, maleficia quæ per uenena fiunt: ſic & capite 18. 21. 22.

...rne- 46. *...ún- ...θαι. ...ειν.*

Non interim ignoro, mechaſſepha & mechaſſephim, φάρμακον & φαρμακείαν quandoque liberius uſurpari, & ad magicas extendi artes: at non ad alias, quàm ea nouêre ſecula. Lamiarum autem à me deſcriptarum actus ab illis magis, quorũ Moſes & ſacroſancta meminit Scriptura, penitus ſunt diuerſi. Nihil hic firmi ex hiſtorijs ueris illo æuo conſcriptis ad rem attuleris. Quæ poſtea de illis poëtæ ſcripſerunt, uaniſsima utplurimùm ſunt commenta, & meræ fabulæ, uel potius mendacia.

...aſſe- pha. ...aſſe- him.

—Pictoribus atque poëtis
Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas.

Horat. de arte poet.

Teſtimonio ſunt Virgilius 4. Æneid. et in Pharmaceutria, Ouidius 7. Metamorph. Horat. Epod. 5. Tibull. libro 1. Eleg. 2. item & alij, quos uidere licet lib. 3. de Præſtig. dæm. cap. 1. quemadmodum & legem duodecim Tabularum de incantatis frugibus confutatam cap. 16.

Per mechaſſephim Exodi 7. uerſu 13. deſignari pręſtigiatores, ipſa res docet, qui carminibus uel nefarijs artibus apud Ægyptios familiaribus, quędam incredulorum oculis apparenter obijciebant, quæ reuera non erant: id uerò nequaquã noſtræ poſſent lamię, quum etiam maximè uelint. ad experimentum prouoco. Reliquis locis, (legitur enim ea uerbi poſitio in ſacris Biblijs tredecim omnino locis) nimirũ in Exod. cap. 22. uerſu 17. in Deut. cap. 18. uerſu 10. in 4. Reg. cap. 9. uerſu 22. in ſecundo Paral. cap. 33. uerſu 6. in Iſaia cap. 47. uerſ. 9. & uerſ. 12. in Ierem. cap. 27. uerſu 8. in Daniele cap. 2. uerſu 2. in Michea cap. 5. uerſu 12. in Nahum cap. 3. uerſu 4. bis: deniq; in Malachia cap. 3. uerſ. 5. à D. Hieronymo conuerſa ea uox Malefici uel Maleficia, pro uerbi inflexione ſcilicet: magos infames eorumque actus ego intelligo. De loco Exod. cap. 22. controuerſia eſt. Veneficia Ieſabelis reddidit ille quarto Reg. Maleficia alij: quum tamen magicas artes nuſquam legatur illa exercuiſſe, uerùm cędibus in propheras ſæuijſſe: Nabothum inſontem ob denegatam ſui agri uenditionem, obrui lapidibus iuſsiſſe: Achabum maritum Iſraelitarum regem ad idolorum cultum perduxiſſe: quæ ſimulachris immolabantur, comediſſe, artibusq; fuiſſe uſam

4 Reg. 9. Maleficia Ieſabelis.

3. Reg. 18. 22.

Apocal. 2.

fornica-

fornicarijs. Hinc dilucidè uides, mechaſſephim ad diuerſa in Biblijs uſurpari flagitia. Adhæc cæteris locis ſuprà citatis, utplurimùm cũ coniectoribus & ſomniorũ interpretibus atq; auguribus, & hoc genus hominib. annumerari, unde quandã actionũ communionem licet colligere, deprehendes. Omnes uerò tales diuinationũ uetitarũ modos ignorãt noſtrę lamiæ. Quocirca ſi uoce illam ſpectare nolles ueneficos, ad magos quos dixi, inauſpicatos, & quidẽ ſecundũ leges puniẽdos, ſi hoc malis, referre per me licet. Tales enim ex Iſraele exulabant uel pœnæ

Exod. 7. ſubijciebãtur, quales & præſtigijs Pharaonẽ illuſiſſe ſuprà dixi. Similiter indiſtinctius licẽtiusq; Germanis nomẽ Zeuberer torquetur, ad quod exhorreſcit, faſcesq; apparat ferè quilibet, citra exactã circumſtantiarũ totius cauſę inquiſitionẽ, multò minus notionẽ. Vno illis eodẽq; nomine Zeuberer nuncupatur magus ex profeſſo illuſor pręſtigiatórue, frequẽter etiã eruditus, ex libris illicitis, uel alioqui dæmonũ inſtitutione utens uerbis, characteribus, figuris, ſigillis, amuletis, ſuffitibus, ceremonijs, & reliquis id genus quiſquilijs: item ueneficus ſtudio uenenum uſurpãs: atq; Lamia, ob mẽtis imbecillitatẽ, & phãtaſiam à diabolo uitiatã deluſa, ut ſe feciſſe credat, quæ illi ſaltẽ per ſomniũ cognita, uel etiã rerum natura nõ agnoſcit. Alij certè nulli Moſis lege cõdemnari debẽt, quàm quos Moſes & illud ſeculũ nouit. Lamias aũt uulgò dictas, & iam à me deſcribendas, ne quidẽ Chriſti tempora norunt, multò minus Moſis: quorum uerò incantatorum meminit Scriptura, cũcti fuere infames magi. Hinc euenit, ſi quãdo lamiarũ fit mentio uel ueneficorũ, ut confeſtim Pharaonis pręſtigiatores uel incantatores, longè à lamijs & ueneficis diuerſos opponant, æquiuoco Germanico falſi. Agedum igitur, iam lamias quoque propius ſpectemus.

QVID LAMIA.
Cap. V.

LAmiã appello, quę ob fœdus pręſtigioſum aut imaginariũ cũ dæmone initũ, propria ex ſuo delectu uoluntate, uel maligno dæmonis inſtinctu impulſuúe, illiusq; ope, qualiacunq; mala uel cogitatione uel imprecatione, uel re ludicra atq; ad inſtitutum opus inepta deſignare putatur: uelut aẽrẽ inſolitis ignire fulminibus, tonitru terrifico concutere, damnoſa grandinis inſoliti multitudine ferire, tẽpeſtates excitare, ſegetẽ in agro lætã aliò transferre aut depopulari, morbos pręter naturã hominibus beſtijſq; ciere & mederi, paucis horis longiſsimè euagari, choreas cum dæmonibus ducere, epulari, ſuccubũ agere, homines in beſtias cõmutare, & mille monſtroſa rerum ludibria oſtẽtare. Hæc lamiæ uulgò attribui uideo, maximè ex poẽtarum authoritate: uerùm

——Pictoribus atq; poetis
Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas.

Quocirca eã utplurimùm uetulã, mente ſtupidã, indoctã, abſq; ullis libris, à ſpiritu dæmoniaco præſtigijs illuſam, phãtaſia ſolùm à diabolo imbuta uitiataq; uſqueadeò ſimulachris, ut feciſſe cõſtanter fateatur, quæ nec facere potuit, nec in rerum natura unquã fuere, nec ipſa patitur natura, demonſtrare conabor, ubi prius profeſsionis modum & fœdus, quod ſemper mordicùs obijcitur, & uelut irreuocabilis ſententię perpetuum decretum urgetur ſeriò nimis, expoſuero.

LAMIARVM PROFESSIONIS *modus & fœdus.* Cap. VI.

VT uerò omnia dęmonis inſtituta minimè cohærent, uariaq; & mendacia comperiuntur: ita & profeſsio-

profeſsionis lamiarũ modus ineptus, futilis mancusq; eſt, ac diuersè à quolibet eius factionis reo quæſtionibuſque ſubiecto narratur. Exempla ſunt obuia in Malleo maleficarum, libro ſic inſcripto, ubi legitur: Modus profitendi duplex eſt: unus ſolennis, per ſimile, ad uotum ſolenne: alius priuatus, qui ſeorſum dæmoni quacunque hora fieri poteſt. Solennis inter eos fit, ubi lamiæ in certam concionẽ ſtatuto die ueniunt, & dæmonem in aſſumpta hominis effigie uident: qui quum de ſeruanda ſibi fide admonuerit, ſucceſſumque in rebus mundanis proſperum, & uitæ longitudinẽ promiſerit, quæ præſentes ſunt, nouitiam ſuſcipiendam ipſi commendant. Et dæmon ſi in abneganda fide, cultu Chriſtianiſmi, & extenſa muliere (ſic enim beatiſsimam uirginem Mariam nuncupant) & in ſacramẽtis nunquã uenerandis inuenerit nouitiã ſeu diſcipulum procliuem, tunc dæmon manum extendit: ac uiceuerſa diſcipulus ſeu nouitia ſtipulata manu, illa ſeruaturũ ſe pollicetur. Hinc dæmõ ſubiungit, ea nõ ſufficere, ſed omagiũ deinde petit, cõtinens, ut anima & corpore ſe in æternum illi dedat, & pro uiribus alios quoſcunq; utriuſq; ſexus illi adiungere uelit. Addit denique, ut certa unguenta ex oſsibus & membris puerorum, & præcipuè renatorum fonte baptiſmatis, ſibi conficiat, per quæ omnia ſua inſtituta, ipſius adminiculo explere poterit. Hunc modũ nos inquiſitores (ſcribunt Mallei maleficarũ authores) cognouimus in oppido Briſiaco Baſilienſis diœceſios, plenè à ſaga iuuencula informati. Deinde pòſt legitur: Pręfato inquiſitore mihi referente intellexi, in ducatu Lauſanenſi quoſdã magos coxiſſe & comediſſe proprios infantes. Modus autẽ diſcendi talem artẽ fuit, ut dixit, quòd magi in certã ueniãt concionẽ, & opere eorum uériſimiliter dæmonẽ in aſcititia hominis ſpecie cõſpiciant: cui diſcipulus neceſſariò dat fidem de abnegãdo Chriſtianiſmo, de euchariſtia nũquã adoranda, & de calcãdo ſuper crucẽ, quando latenter poſſet. Fuit inſuper fama cõmunis, Petro iudice in Boltingen narrante, quòd in terra Bernenſiũ tredecim infantes à lamijs eſſent deuorati: quamobrẽ etiã in tales parricidas ſatis duriter exarſerat publica iuſtitia. Alius poſtea iuuenis, tamẽ uxoratus, hunc refert ordinẽ: Oportet primò Dominico die, antequã aqua benedicta cõſecratur, diſcipulũ futurum cũ magiſtris templũ ingredi, & ibidẽ abnegare, &c. Deinde omagiũ pręſtat magiſterulo, id eſt, paruo magiſtro: ita enim dæmonẽ, nec aliter, uocant. Sequitur poſtremò: De utre bibit, ut audies: quo facto, ſtatim intrinſecus ſentit ſe imagines noſtrę artis cõcipere, et principalib. ritibus huius ſectæ imbui confirmariq;. Quum autẽ modũ quo infantes comederent, à ſaga capta inquireret Petrus: hæc reſpondit, illũ talem eſſe. Infantibus nondũ baptizatis uel etiam baptizatis inſidiamur, præſertim quando crucis ſigno & orationibus nõ muniuntur. Hos in cunabulis, uel ad parentum latera iacentes ceremonijs noſtris occidimus: quos, poſtquam putantur oppreſsi eſſe, uel aliunde mortui, ex ſepulchro clã ſuffuramur, & in olla decoquimus, donec euulſis oſsibus, uelut cera ferè potabilis efficitur. De ſolidiore materia unguentum facimus, noſtris uoluntatibus, actibus & trãſuectionibus commodum: de liquidiore uerò humore utrem implemus, ex quo quicunque biberit, additis ceremonijs paucis, e-ueſtigiò noſtræ artis conſcius redditur & magiſter.

Verè imagines, id eſt, uitiatam phantaſiam.

Vnguentum terribile.

Potus tartareus.

Hæc ille.

PRO-

PROFESSIO LAMIARVM DIluitur, *oſtenditurq́; fœdus eſſe præſtigioſum, ſtultum, & nullius ponderis.* Cap. VII.

QVàm hæc nõ cohæreãt, ſint abſona, indignaq́; quib. fides uel leuiter adiungatur, quilibet, dũmodò nõ omnino mentis inops eſſe uelit, facilè iudicabit. Fœdus autem eſſe prę́ſtigioſum, phãtaſmate aut imaginatione uel phãtaſtico præſtringentis ſpiritus corpore fallaciter apparẽte: uel neruis opticis ſeu uiſorijs indita ſubdole, quã ſatan uult, ſpecie, cõmotis huc humorib. & ſpiritibus idoneis: uel ſibilo, ſuſurro aut murmure in organis auditus uitiatæ formis imagini reſpõdente, ſpiritus maligni arte excito, conflatũ ſtabilitumq́;, ac inde nullius eſſe põderis, haud obſcurè cognoſcitur: potiſsimùm ſi diuerſa cõtrahentiũ eſſentia, contractus forma, modus & circũſtantiæ perſpicaci mentis acie inſpiciantur, atq; rationis fideiq́; noſtræ æquilibrio exactius penſiculẽtur. Sic pleraſq; omnes actiones lamiæ hactenus attributas, quas ſuas eſſe maleſana quoq; fatetur, ex corrupta à præſtigiatore uirtute imaginatiua, non lamiæ, ſed ipſius ſatanæ exiſtere, palàm fit: cui minimè opus eſt alterius adminiculo in ſua potẽtia oſtendenda, aut actionibus declarandis, qui nec ullius uoluntate aut imperio cogitur, quàm Dei & huius miniſtrorũ bonorum: malis non coactus, ſed ſpontè & quidẽ libẽter obſequitur, Deo permittẽte, malitioſus ille ueterator, ſecus licet fingat ſimuletq́;, teſte Porphyrio, ut ſuis præſtigijs nos magis irretiat. Nõ uerò ſtrictè colligari pactum imaginarium, doloq́; malo mendaciter ab altera parte initũ neceſſe eſt, quũ à præſtringente ſpiritu apud ſtupentem, nec mentis cõpotem ſatis hominẽ aliter fieri non poteſt. Siquidẽ quòd dæmon extenſa manu firmaq́; ſtipulatione lamiã recipiat, falſiſsimũ eſſe, neminẽ dubitare oportet, quũ ſpiritus carnẽ & oſſa non habeat, ipſa Veritate teſte. Tatianus adhæc cõtra Græcos hic rectè ſcribit, dæmones omnes nõ carnea, ſed ſpirituali concretione conſtare, qualis eſt ignis & aëris: quæ corporũ conſtitutio à ſolis illis perſpici poteſt, qui ſpiritu Dei muniuntur, non item à cæteris hominibus quos anima regit.

Præterea doloſa hæc ſtipulatio, maximè in pernicioſum finẽ cõficta ſine teſtibus aut uadibus cõtra Dei uoluntatem, ſi tantum habebit momenti, ut nulla queat reſcindi ratione, & neceſſariò eius uirtute alter alterius uoluntatẽ ſequi, illiusq́; præcepto morẽ gerere compellatur: quur pactum illud prius in baptiſmo ex peculiari Dei uoluntate & mãdato, ſolennibus uerbis uerè ſancitũ, & quidẽ interpoſitis fideiuſſoribus, tanquã prærogatiuã nõ præponderabit? Alia profectò contractus eſt firmitas inter Deũ ueracem & ſanæ mentis homines. Quicquid ille ſtipulatur, & in ſuo uerbo addicit, hoc fideliter & indubitatè præſtat, nec data manu præſtigioſa deludit, nõ ſaltat, nec conuiuatur, uel ſimilibus rebus ludicris quibuſcum paciſcitur, nequiter fallit dementat'ue, quemadmodũ hic cõmentitio carnali corpore amaſius. Diſparitatẽ hic qui negauerit, neſcio quid ueritatis idem ſit admiſſurus.

Atqui fidem Chriſtianam hic abnegaſſe miſeram anum, obijcies. Et nos, quotquot aliã ſalutis uiam quę́rimus, quàm Chriſtum Ieſum, eius præcepta obſeruãtes, ueſtigijsq́; inſiſtẽtes, uiua in ipſum fide, per dilectionẽ operãte, fidẽ abijcimus, re ipſa teſtati mẽte ſana, quod illa uel ætate ſtupida, uel ſexu incõſtans, uel impotẽtia mentis lubrica, uel animi morbo deſperans, aut imaginariè aut maligni arte deluſa, fe-

ciſſe putatur. Aures hic Pauli uerbis, quibus fidẽ Chriſtianã uerè abnegantes ſcitè depingit, pauliſper accommo
1. da. Illud ſcito, inquit, quòd in extre-
4. mis diebus inſtabũt tẽpora periculoſa. Erunt enim homines ſui amantes, auari, faſtuoſi, ſuperbi, malefici, parentibus immorigeri, ingrati, impij, carentes affectu, neſcij fœderis, calũniatores, intẽperantes, immites, negligentes bonorũ, proditores, præcipites, inflati, uoluptatũ amantes potius quàm amãtes Dei: habentes formã pietatis, ſed qui uim eius abnegarint. Et iſtos auerſare: ex his enim ſunt qui ſubeunt in familias, & captiuas ducũt mulierculas peccatis oneratas, quæ ducũtur cõcupiſcentijs uarijs, ſemper diſcẽtes, nec unquã ad cognitionẽ ueritatis ue
7. nire ualẽtes. Quemadmodũ autẽ Iannes & Mambres reſiſtebant Moſi, ita & hi reſiſtunt ueritati: homines mẽte corrupti, reprobi circa fidem. ſed non proficient amplius: ſiquidem amentia eorum euidens erit omnibus, quẽadmodum & illorum fuit. Hæc Paulus.

Ad chriſma in fœderis contractu è fronte exemptũ, quemadmodũ pleriſq; alijs perſuaſum, ſi cõfugias, licet uel unico uerbo hic ſatisfacere poſſem: id tamẽ ne plus faceſſat negotij, tutius erit reſpondere: Si qua uis erit chriſmatis, eam non in externa illinitione magis cõſiſtere, quàm in externa aquæ ſuperfuſione in ſacramento baptiſmi, qui fide intercedẽte ſanctificatur, atq; ita cõfirmatur, ut ſi poſtea centies aqua corpori infuſa abluatur, imò uniuerſa cutis abradatur, nihilominus ex charactere fide impreſſo permanet baptiſmi eſſentia: etiamſi eius uirtutẽ homo quandoq; lapſu abneget, tamẽ ſi reſurgat à peccatis ad uitæ emẽdationem, reſipiſcentia cõuerſus, eadẽ ſtabit baptiſmi ſemel adminiſtrati energia. Ratio chriſmatis eraſi erit eadem apud pœnitentem, ſi ita uoles: alioqui uel uulnere ſyncipiti inflicto, aut putrido ulcere ea in parte exorto, illud quoq; interire ſequeretur: quanquã etiam non uerè ſynciput in fœdere collidi crediderim, ſed imaginariè: quemadmodũ reliqua multa hic contingere animaduertimus, quo credulum hoc maleferiatorũ hominum genus perſuaſione mala inducatur, ut ſe diaboli retibus iam inde implicitum uſqueadeò ſeruumq́; credat, quaſi omnis reſipiſcẽtiæ uia deinceps ſit prçcluſa, quo hac ratione tandẽ extrema cogitet moliaturq́;: quãuis nõ magis huic, imò multò minus, ut uitiata phãtaſia deluſo, quàm quibuſuis alijs grauiter peccantibus conuerſionis locus erit præciſus. Petrus ſiquidẽ antea breui à Chriſto præmonitus, contra conſcientiæ teſtimoniũ ter Chriſtum, addito etiã iuramẽto, negat: atqui agnito errore, lachrymiſq; fuſis, in gratiam recipitur. De hoc & reliquis huc facientibus copioſius poſtea cap. 24.

Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. Ioan. 18.

FOEDERIS VANI *demonſtratio reliqua.*

Cap. VIII.

Adhæc, quòd ullis ceremonijs pueros occidere quis poſſet, falſiſsimũ eſt, meraq; ſathanæ ſuggeſtio, & inanis credulitas. Item quòd illos ex ſepulchris clàm effodiant, nihil eſſe niſi dæmoniacã perſuaſionem ex imaginatiua ui corrupta, aut alto ſomno uitiata, palàm conſtabit, ſi monumenta inſpiciãtur, unde eos extractos eſſe narrãt lamiæ: ibi etenim adhuc inueniẽtur recõditi. Nec hæſitare uolo, eodẽ modo in mentẽ illis inductam eſſe infantis decoctionem in olla confectam, donec exemptis oſsibus caro redderetur potabilis. Tam enim iſtud exiſtit inhumanum, tetricum, crudele, & propterea creditu difficile, ut ſi uel meis hoc intuerer oculis, ci-

Ceremonijs non poſſe occidi pueros.

Infantes mortuos ex ſepulchris effodi, deluſoriũ eſt.

Potus ille Stygius imaginarius, uti et unguentũ.

tius horribilis huius ſpectaculi faſcino eos mihi præſtrictos crediderim, quàm nefandum hoc & pluſquàm tragicum, omnemq; exuperans fidē condimentũ uerè apparatum eſſe fatear. Sed eſto, quòd ex Stygia palude proſerpant eius unguenti artifices horrificæ ſtriges, quæ omnē humani ſenſus imaginem prorſus exuerint: cedò tamen, unde illi unguento ea uirtus, ut ſi quis eo inungatur, fiat ſceleratarũ uoluntatum, execrabilium artiũ, & tranſuectionũ incredibilium particeps? uel ſi eo ſedile aut lignũ illinatur, mox alter huic innixus per aëra feratur: quēadmodũ Lamiæ perſuaſum habent, & Malleus maleficarũ teſtatur? Nō libet hic anxiè de mortuæ putidæq; & uirulentæ huius carnis decoctæ temperamento & uiribus diſceptare. Siquidem in rerum natura eam ita paratam non inueniri, firmiter credo: idem de liquidioris materiæ in utre, ut dictum eſt, conſeruatæ pręparatione, potatione & uirtute dictum uolo. Interim negandum non eſt, miſeras has mulierculas ita formis uirtuti phantaſticę impreſsis à dæmonio dementatas, non aliter ac ſi hæc ita uerè fierent, ſcire: uti ferè omnes illarum præter naturam actiones, imaginariæ ſaltem uidentur: & propterea quęſtionibus adactæ flãmisq; propinquæ ſua apertè confitentur flagitia, per ſomnum uel ſimulachrum illis ſolummodò cognita. Idipſum extra omnem controuerſiam ponunt confirmantq; Decreta ad hũc modum: Quædam mulierculæ inſeruientes ſatanæ, dæmonum illuſionibus ſeductæ, credunt ſe alia nefanda quoque agere: puta paruulos à lacte matris auellere, aſſare & comedere: domi per caminos ſeu feneſtras intrare, & habitantes uarijs modis inquietare: quæ omnia & conſimilia ſolùm phantaſticè accidunt eis. Cùm ea ue-

In ſecũda parte, cauſ. 26. q. 5. epiſcopi. Et Auguſtin. de ſpiritu & anima cap. 28.

rò quę foſſula facta, & lotio infuſo uel aqua, digitoq; moto ſe tempeſtatem ciere arbitratur, colludit dæmon aërē turbans, ut illam ſibi addictam, in officio contineat.

Huius ergo ex utre potionis tartareæ, ſed imaginariæ in fœdere uſus, ipſum quoq; præſtigioſum eſſe, pręter multã eius diuerſitatē, apertius demõſtrat: lubetq; hic cum Horatio dicere,

Ne quodcunq; uolet, poſcat ſibi fabula credi,
Neu pranſæ Lamiæ uiuum puerũ extrahat aluo. *1. Car. 36. a.*

Pacti item uanitatem id quoq; docet, quòd eo inito ceremonias quaſdã contra Eccleſiæ ſtatuta cogantur obſeruare: quemadmodum diebus Dominicis ieiunare, aut ſextis ferijs (ut aiunt) carnibus ueſci, aut crimina in cõfeſsione celare, uel tempore eleuationis in terrã ſpuere, uel ſub Miſſæ actione uerba proferre inutilia, uel aliquid ſimile deſignare: ita Mallei referunt fabricatores. Hæc qualia & quanta ſint delicta, quilibet pius, tenuiter modò ſacrarum literarum cognitione tinctus, intelligit. Etenim quum dies Dominicus ſit audiendo Dei uerbo, orationibus, & diuino cultui inprimis conſecratus, his nemo fructuoſius uacarit, quàm qui mentem à cibi nebulis ſerenam conſeruarit. Eſt, inquit Chriſtus, aliquod dæmoniorũ genus, quod non eijcitur, niſi orationibus & ieiunijs. Sobrios hinc nos eſſe iubet Petrus, & uigilantes ad orandũ: quia aduerſarius noſter diabolus, tanquam leo rugiens, obambulat, quærens quē deuoret. Item Paulus ſuos docet Corinthios: Ne fraudetis uos inuicem, niſi ſi quid ex conſenſu pro tempore, ut uacetis ieiunio & precationi. Ita ieiunium & oratio ferè coniunguntur, & quidem ordine optimo: ut quod apud Tertullianum legitur, ieiunare die Dominico, nefas exiſtimari, non immeritò mirer: minusque Melchiadis papæ.

Die i... co ... iunar... *Mat...* *1. Pet...* *1. Cori...*

edictũ uideatur cõmendandum, quo ne die Dominico ieiunaretur, cauit.

...us ue... ...us à Rom. ...uan... ...

Quòd uerò carnibus ueſci urgente neceſsitate (ſi modò abſit offendiculũ, contẽptus & gula) liceat diebus à pontifice Romano uetitis, alij defendunt ex his Chriſti uerbis: Audite & intelligite: non quod ingreditur in os, impurat hominem: ſed quod egreditur ex ore, hoc impurum reddit hominẽ. Itẽ ex Paulo ad Coloſſ. 2. Ne quis uos iudicet in cibo aut potu, aut in parte diei feſti, aut nouilunij, aut ſabbathorum, quæ ſunt umbra rerum futurarum, corpus autem Chriſti. Et pòſt: Si mortui eſtis cum Chriſto ab elementis mũdi, quid quaſi uiuentes in mundo, decretis tenemini? Ne tetigeris, ne guſtaris, neq; contrectaris: quæ omnia pereunt abuſu iuxta præcepta & doctrinas hominum, quæ uerbotenus quidem ſpeciem habent ſapientię per ſuperſtitionem ac humilitatem animi, & læſionem corporis, non per honorem aliquem ad expletionem carnis. *...th.4.* Ad Timotheum hic quoq; ſcribit: Spiritus certò loquitur, quòd in poſterioribus temporibus deſciſcent quidam à fide, attendentes ſpiritibus impoſtoribus, ac doctrinis dæmoniorum per ſimulationem falſiloquorum, cauterio notatam habentium cõſcientiam, prohibentium contrahere matrimonium, iubentium abſtinere à cibis, quos Deus creauit ad ueſcendum cum gratiarum actione fidelibus, & ijs qui cognouerunt ueritatem: quòd quicquid creauit Deus, bonum ſit, & nihil reijciendum, ſi cum gratiarum actione ſumatur: ſanctificatur enim per ſermonem Dei ac precationem. De his ſi commonefeceris fratres, bonus eris miniſter IESV Chriſti, enutritus in ſermonibus fidei, bonæq; doctrinæ, quã uſq; ſequutus es. Cæterùm profanas & aniles fabulas reijce. Hæc Paulus.

...th.15.

Item: Omne quod in macello uenditur, edite, nihil interrogantes propter conſcientiã. Domini ſiquidem eſt terra & plenitudo eius. *1. Corinth. 10. Pſalm. 23.*

Adhæc, quòd ex pacto certa celare crimina in confeſsione cogantur: quis amabò ſingula diſtinctè enarrabit peccata? quum plerunq; omnes noſtri cogitatus, uerba & actiones ſint peccatorum labe conſpurcata? aut quónam diuinæ uoluntatis teſtimonio, exacta illa ſingulorum ſcelerum enarratione opus eſſe conuincetur? Quo ordine ea receſuit publicanus ille in templo, aut latro in cruce? *Celare crimina in confeſsione. Lucæ 18. & 23.*

Tam quoque graue eſt delictum in terram tempore eleuationis ſpuere, quàm ſputũ in ore continere. Et ęqualem pœnam merentur uerba inutilia tam ſine Miſſa, quàm ſub eius actione prolata. Huc adducatur commiſſum in calcanda ſecretò cruce flagitium: item, quòd die Dominico ante luſtralis aquæ conſecrationem templum ingrediantur Lamię: & mille alia anicularum deliramenta, eò huc adducta à dæmone, ut ſub religionis prætextu ſuperſtitionem impietatemq; inueheret & ſtabiliret. Hic præſtigioſi fœderis neruũ palàm cernit quilibet pius. Rectiſsimè ergo Auguſtinus ait: Omnes artes huiuſmodi uel nugatorię uel noxiæ ſuperſtitionis, ex quadam peſtifera ſocietate hominum & dæmonum, quaſi pacta infidelis & doloſæ amicitiæ, penitus ſunt repudiandæ. Et Origenes: Incantationes diaboli ſunt ſeductiones, dæmonum irriſiones, idololatriæ fæx, animarum infatuatio, atque cordium ſcandalum. *In terrã ſpuere tẽpore eleuationis. Verba inutilia ſub miſſa proferre. Crucem calcare ſecretò. Ante luſtralis aquæ conſecrationem templum ingredi die Dominico. Libro 1. de doctr. Chriſt. & legitur 26, q. 2. illud quod eſt. lib. 3. in Iob.*

QVI HOMINES DAEMONVM *illuſionibus artibusq; magis ſunt expoſiti.* Cap. IX.

HIc porrò id hominũ genus maximè impetitur, quod tali eſt tẽperamento, uel à cauſis externis

uel internis mouetur, ut à dæmonis ſpectro appetitum, uel illius ſuggeſtione tentatum, ſe uti organum illius uoluntati non ineptũ, ex fucata inductione facilè præſtet. Eiuſmodi ſunt melancholici, & ob iacturã uel qualẽcunq; aliã cauſam triſtes: itẽ Deo diffidentes, impij, illicitè curioſi, peruersè in religione Chriſtiana inſtituti, inuidi, impotentis odij, malitioſi, uix mentis compotes, ſimilesq́; lubricæ fidei (qui enim facilè credit, facilè & recedit) uel inſignis malitię mulierculę, effœtæ, ſtupidæ, ſenſibusq́; uacillantes. [Clem. lib. 2. Recog. August. lib. 2. de doctrina Christ. ca. 14.] Hunc ſexum cumprimis adoritur ſubdolus ille ueterator: quo nomine Euã conuenientius ſuæ perſuaſioni organũ, nõ Adam in rerum primordijs, quum ſolùm exiſterẽt duo homines, aggreſſus eſt, quam leui etiam diſputationis uelitatione uicit: quare & meritò infirmius uaſculũ mulierem appellat D. Petrus. [1. cap. 3.] Hinc ſecundum ueterum Grçcorum inſtituta, prouidè admodum ex lege tutores & curatores mulieribus dari ſolitos legimus, ſine quorum arbitrio & authoritate nihil eis agere licebat, ut retulit Harpocration.

Illiuſmodi itaq; hominibus ut inſtrumentis congruis inſidiatur diabolus quibuſcunq; poteſt modis, ſuo tempore & loco: ſingulos, ut cuiuſq; animi ſtudia & affectus ex certis indicijs cognouerit, peculiari aliqua ratione adoritur, inſectatur, illicit, uel aſsũpta plauſibili forma, uel cogitatione imaginationeq; uariè agitata & corrupta, donec tandẽ ipſius propoſito conſentiãt, ſe ipſius perſuaſioni dedant, quicquid in mentẽ ille ingerat credãt, tanquam fœdere obligati, ab illius nutu pendentes, ipſi obtemperãtes, uera omnia eſſe quæ ſuggerit rati: formas in imaginatiua uirtute uel phantaſtica ab eo ingeſtas reuera ſubſtantialiter (ut ſic dicam) exiſtere confidentes ſanctiſsimè: nec aliter queunt, quum illorum mẽtem ex primo aſſenſu imaginibus inanibus uitiarit, conſopitis uel concitatis in hoc opus corporis humoribus & ſpiritibus, ut hac ratione ad organa accõmodata ſpecies aliquas inducat, perinde ac ſi extrinſecus eis occurrerent uerè, nõ ſolùm dormientibus, uerùm & uigilãtibus: atq; hoc modo aliqua foris uel exiſtere uel fieri putentur, quæ tamen reuera nec ſunt nec fiunt, nec ſæpe in rerum natura exiſtũt. Ea eſt horum immundorum ſpirituũ ſubtilitas incomprehẽſibilis propè & fraus infatigabilis, ſenſus hominum eludens. Sic & ueterum Ægyptiorum ſenſus obſediſſe dæmonem, docet apud Clementem D. Petrus. [lib. 5.]

QVOMODO VIM IMAGINAtiuam uitiet diabolus. Cap. X.

CAeterùm ne imaginatiuæ uirtutis organa in hiſce mulierculis hoc modo uitiari, & oculorum aciem perſtringi, ut dictum eſt, uſqueadeò abſurdũ uideatur, animaduerte melancholicorũ cogitatus, uoces, uiſa & actiones, ac quàm omnes ſenſus ex unico humore melancholico cerebrũ occupante mentéq; immutante, in his ſæpe deprauentur, intelliges. Horũ ſiquidem alij ſe eſſe bruta animalia credũt, ipſorũq; uoces & geſtus imitãtur. Nõnulli ſe uaſa fictilia factos eſſe putant: ob id occurrẽtibus, ne collidãtur, cedũt. Alij mortẽ timent, quã ſibi tamẽ conſciſcũt interdũ. Pleriq; ſe criminis reos imaginantur, ut pauidi quẽcunq; uiderint ad ſe ingredientẽ exhorreſcant, ueriti ne manibus ipſis iniectis captiui abducantur, & ad tribunalia ſupplicio afficiendi pertrahantur. Sũt quos tam miſerè exercet plena ſcrupulis conſcientia, qui nodos in leui ſcirpo quæritantes, culpam imaginantur ubi nulla eſt, & diuinæ miſericordiæ diffiſi, ſe orco deſtinatos lamentatione

tatione ſedula nocte diuq; deplorant. Infinita huc coaceruari poſſent exempla, ubi ſenſus omnes multifariam uitiatos cernas ex unico illo humore uel fuliginoſo atræ bilis uapore, mentis ſedem inficiente, unde phantaſtica illa procreari monſtra conſtat.

Imaginatricem quoq; interdum totam ex alijs humoribus corrũpi exoluiq;, docet Galenus de Sympt. differentijs, quemadmodum in catalepſi: plerunq; autem uitiari, ut in delirio: eſt quũ deficit & debilitatur, quod in lethargo contingit. Quare idem non licebit diabolo tanquã ſpiritui, ut Deo cõniuente, in ſenſuum organa ſeſe inſinuet, & humores ſibi commodos uel uapores cõmoueat, uel aërem idoneũ conferat: maximè delectu habito ex temperamẽto, ætate, ſexu, uel alia cauſa externa aut interna apta: unde nouæ ſpecies in imaginatiua ui cõceptę, plerunque etiam ſpiritui uiſorio per neruum opticum communicẽtur, quo ſe uidiſſe, uel deſignaſſe mortis etiam periculo affirmare audeant, quæ nunquam uel uiſa, uel natura etiam non admittit? Leuia eius rei argumenta in hypochymate oculorum uitio apparent. Meritò igitur Thomas frequenter allegat illud Auguſtini in lib. 83. q. Serpit hoc malũ dæmonis per omnes aditus ſenſuales, dat ſe figuris, accommodat ſe coloribus, adhęret ſonis, odoribus ſe ſubijcit, infundit ſe ſaporibus.

Imaginatio eſt tanquam Proteus uel chamæleon: eſt theſaurus quidam formarũ per ſenſum acceptarũ, inquit Ariſtoteles. Idem de Somnio tradit, imagines quæ apparent in ſomnijs, ferri ad caput & ſenſuum organa, ſicut nubium eleuantur imagines, & diuerſæ animalium facies repræſentantur in uapore aqueo uel terreo, qui à terra per ſolis calorem ad aëris medium effertur: ſic & ſomniorum imagines figuras capiunt diuerſas, halitus eleuatos conſequentes: unde uapor cholericus calidus & ſiccus flammam mouere uidetur: qui autem ſurgit halitus phlegmaticus, ex dulcedine, quãdo ad guſtus organum fluit, cognoſcitur, ſomniaq; aquam ſpectãtia gignit: ſed ex uapore melancholico nigro apparet quiddam horribile, & quaſi dæmonum imago: proinde huic ueluti materiæ ſuis ludibrijs conuenientiſsimæ diabolus ſe non illibenter inſinuat. Quod autem ex cholera aduſta, quæ melancholia eſt accidentalis, aſcendit, ſentitur ut mordax, uulnerans, acre, fellea amaritudine imbutum. Sic etiam quod ex ſanguine puro euaporat, pulchrum apparet & delectabile: cuiuſmodi eſt roſarũ aut florum aſpectus, choreæ, muſica, & quæcunq; uoluptaria cum uanitate cõiuncta. Et ad hũc modum fit illuſio, ut pro qualitate imaginum per ſomnum ex humorum halitu firmius inuectarum, res ita uiſæ credantur eſſe ueræ.

Dæmones uerò conſequuti poteſtatem, diuina permiſsione, ſpecies eiuſmodi formandi, & eas in animales ſpiritus imprimẽdi, talibus formis oſtendunt perſonas modò lætas, edendo, bibendo, ſaltando, canendo, uenerẽ exercendo: modò triſtes, quæ nihil nõ mali fabricent uel patiantur: modò humanas, modò beſtiales, modò opprimentes, modò uolãtes, & animæ ſenſus ijs infigitur tanquam rebus ipſis. Hinc fit, quòd homini aliquando uideatur, ſe eſſe aſinum ſacco coopertum, nõnunquam per caminũ euolare, cum muliercularũ cœtu de loco ad locũ tranſferri, ducere choreas, longius peregrinari, & quibuſcunq; alijs intereſſe delirijs. Ideoq; talia ijs frequenter in ſomnijs & nocte contingunt, interdiu non item, niſi melancholicis quibuſdã & inſanis, qui idem uigiles patiuntur,

quod

Somnorinæ imagines. quod alij in ſomnis. Somnorinas eiuſmodi imagines appellat Varro, teſte Nonio. Quomodo adhæc phantaſiam corrumpat diabolus, uide Auguſtinū lib. de Diuinat. dæm. cap. 3. 5. & 6. item lib. 3. de Trinit. cap. 12. ad Simplic. lib. 2. quæſt. 3. & lib. de Cura pro mort. agenda, cap. 12. Huc maximè facit, quod libro de ſpiritu & anima, cap. 28. idem tradit, & Decreta docent: *26. q. 5. epiſcopi ex cõcilio.* Quædam futura prædicunt dæmones, & quædam mira faciunt, quibus homines alliciunt & ſeducunt. Vnde quædam mulierculæ poſt ſatanam conuerſæ, dęmonum illuſionibus & phantaſmatibus ſeductæ, credunt ſe & profitentur nocturnis horis cum Diana Paganorum dea, uel cum Herodiade, uel Minerua, uel innumera mulierum multitudine equitare, uel earum iuſſionibus obtemperare. Quapropter ſacerdotes Dei prædicare populo debent, ut nouerit hæc falſa omnino, & non à diuino, ſed maligno ſpiritu talia phantaſmata mentibus fidelium irrogari. *2. Corinth. 11.* Ipſe nanque ſatanas, qui ſe transfigurat in angelum lucis, quum mentem cuiuſque ceperit, & hanc ſibi per infidelitatem ſubiugarit, ilico ſe transformat in angelum lucis, in diuerſarumq; formarum ſpecies & ſimilitudines: & mentem quam captiuam tenet, in ſomnis deludens, per deuia quæq; deducit. Et quoniam ſolus hoc patitur ſpiritus infidelis, nec in animo, ſed in corpore euenire opinatur. Quis enim in ſomnis & nocturnis uiſionibus non extra ſeipſum deducitur, & multa uidet dormiēdo, quæ nunquam uigilando uideret? Idcirco nimis ſtultus & hebes eſt, qui hęc omnia quæ in ſpiritu fiūt, etiam in corpore accidere arbitratur, &c. Hactenus Decreta.

Proinde non abſurdè ἐγγαστριμύθοις aſſimilari poſſent eiuſmodi maleferiatæ anus: qui uelut rapti extra ſeſe, ſenſuque omni & motu priuati, quum iacent exanimis ſimiles, & pòſt ceu ex profundiſsimo expergefacti ſomno, aut à morte ad uitam reuocati, redeunt ad ſeſe, & miras fabulas miraque commenta narrant. at in has cogitationes ſe ingerens dæmon earum ſeriem texit, hancque uariat mira arte & ſcitè, repetitis præteritis, annexis præſentibus, & aſperſis etiam quibuſdam admonitionibus de futuris, ne in ſuſpicionem anilium fabularum, aut temerè cogitatarum ineptiarum ueniant: inducta etiam perſuaſione, ut coràm ſpectaſſe quæ diabolus offudit, imaginentur, ita dementat eos, quos ad talia uſurpat miniſteria, ut ſui prorſus non ſint compotes, ſed uelut κατα-ληλωθέντες, ea agitent mente, in eaque intueantur, quæ dæmon obijcit: ex ſeſe nihil faciant, niſi quantum aliquando permittitur, & id quidem utplurimùm eſt ridiculum.

QVOMODO IN CORRVMPENda phantaſia naturalibus quandoq; pharmacis ſoporiferis utatur diabolus. Cap. XI.

INterdum & in hunc finem naturalia quædam pharmaca Lamijs ſuppeditat fraudulentus ille magiſter, quibus ubi ſe inunxerint confricuerintq;, per fornacem mox ſe euolaturas, ac per aërem longè lateque euagaturas ad tripudia, dulciſsima ſympoſia, concubitus, & gratiſsima rerum ſpectacula, confidunt: quæ tamen per inſomnia ipſis ingerit millеartifex, ubi ab inunctione ſomniferi omnino unguenti, in profundiſsimum lethargicumq; ſomnum delabuntur inſciæ. Hæc ne ſomnia uideantur, libuit adducere, quid ſolertiſsimus occultarum cauſarum indagator Ioannes Baptiſta Porta Neapolitanus libro 2. capite 26. Magiæ naturalis, ſiue de mira-

culis rerum naturalium, ſcribit: Adeò dira, inquiens, cupido hominum mentes inuaſit, ut quæ natura mortalium commoditati elargita eſt, abutantur, ut multis horum ſimul coaceruatis componant Lamiarum unguenta: quę quanquam ipſæ ſuperſtitionis plurimum admiſcent, naturali tamen ui euenire patet intuenti: quæque ab eis acceperim, referam. Puerorum pinguedinem aheneo uaſe decoquendo ex aqua capiunt, inſpiſſando quod ex elixatione ultimum nouiſsimumque ſubſidet. inde condunt, continuoque inſeruiunt uſui: cum hac immiſcent eleoſelinum, aconitum, frondes populneas, & fuliginem. Vel aliter ſic: Sion, acorum uulgare, pentaphyllon, ueſpertilionis ſanguinem, ſolanum ſomniferum, & oleum (etſi diuerſa commiſcent, ab ijs parum diſſidebunt) ſimul conficiunt, partes omnes perungunt, eas antea perfricando ut rubeſcant, & reuocetur calor, rarumque fiat quod erat frigore concretum. Vt relaxetur caro, aperianturque pori, adipem adiungunt, uel oleum ipſius uicem ſubiens, ut ſuccorum uis intrò deſcendat, & fiat potior uegetiorque, id eſſe in cauſa, non dubium reor. Sic non illuni nocte per aëra deferri uidentur ad conuiuia, ſonos, tripudia, & formoſorum iuuenum concubitus, quos maximè exoptant: tanta eſt imaginationis uis, impreſsionum habitus, ut ferè cerebri pars ea quæ memoratiua dicitur, huiuſmodi ſit plena: quumque ualde ſint ipſæ ad credendum naturæ pronitate faciles, ſic impreſsiones capeſſunt, ut ſpiritus immutentur, nihil nocte dieque aliud cogitantes: & ad hoc adiuuantur, quum non ueſcantur niſi betis, radicibus, caſtaneis & leguminibus. Dum hæc penſiculatius perquirendo operam nauarem (ancipiti enim immorabar iudicio) incidit mihi in manus uetula quædam (quas à ſtrigis auis nocturnæ ſimilitudine ſtriges uocant, quæque puerulorum ſanguinem è cunis abſorbent) ſpontè pollicita, breuis mihi temporis ſpacio allaturam reſponſa: iubet omnes foras egredi, qui mecum acciti erant teſtes: ſpolijsque nudata, tota ſe unguento ualde perfricuit, nobis è portæ rimulis conſpicua: ſic ſoporiferorum ui ſuccorum cecidit, profundoque occubuit ſomno. Fores ipſi patefacimus, multum uapulat: tantaque uis ſoporis fuit, ut ſenſum eriperet. Ad locum foras redimus. Iam medelæ uires fatiſcunt flacceſcuntque. A ſomno ſeuocata, multa incipit fari deliria, ſe maria monteſque tranſmeaſſe, falſa depromens reſponſa. Negamus, inſtat: liuorem oſtendimus, pertinaciter reſiſtit magis. Huculque Ioannes Baptiſta.

Hiſtoria memorabilis.

Striges.

Quid hic tam pertinaci ſtudio inſulſi fœderis ſanctitati ſtabitur? quid inuectum à ſpiritu ſathanico ſomnium pro ſanctiſsima ueritatis fide mordicùs defendetur? ſerij'ne locum & pondus ſortietur phantaſiæ ludibrium? Quæ Lamiæ longius ſe euagatas breui temporis ſpacio, admirandiſque rerum ſpectaculis recreatas contendunt pactionis uirtute, eas altiſsimo ex inunctione, uel naturali humectatione cerebri, ſomno immerſas, in eodem ea uidiſſe, artificio dæmonis, phantaſiam talibus imaginibus imbuentis, comperiet is qui ſolerti indagine tempus, locum & reliquas circumſtantias perueſtigarit. Quæ uetulæ per arctiſsimum foramen ad corporis humani magnitudinem minimè proportionatum ſe euolaſſe affirmant, his contradicit rerum natura, ratio, & ipſiſsima philoſophia. Quæ conuentus egiſſe choreaſq; du-

xiſſe

xiſſe hoc uel illo loco & tempore fatentur, eas in lecto ſuauiter huiuſmodi nænias tunc ſomniaſſe, intelliget is qui ſingula ſagacius inquiſierit. Pecuniam ſtipulatus ſathan, offert, ſed imaginariam, quæ fumi inſtar euaneſcit. Quæ hic mutuæ obligationis fides?

AEREM NVLLO MODO *à Lamijs turbari poſſe, nec fruges excantari.*

Cap XII.

In aere concitando quomodo à dæmone illudātur Lamia.

Atqui & poſſe aërem concitare pro ſua libidine pactionis ratione has aniculas dices: uerùm ſingulari arte etiam hic illuduntur, uti & in alijs, à dæmone: qui ſimulatque ex elementorum motu & naturæ curſu citius faciliusque quàm homines, mutationem aëris & tempeſtates fore præuidet: uel alicui infligendam ex abſtruſa Dei uoluntate plagam, cuius ipſum ſpectat exequutio, intelligit: tunc harum muliercularum mentes agitat, uarijsque imbuit imaginibus & ſuggeſtione multiplici, quaſi ob inuidiam in proximum, uel ob uindictam aduerſus inimicum, ſint aërem turbaturæ, tempeſtates excitaturæ, & prouocaturæ grandines. Itaque eas inſtruit, ut quandoque ſilices poſt tergum, occidentem uerſus proijciant: aliquando ut arenam aquæ torrentis in aërem conijciant: plerunque ſcopam in aqua intingant, cœlumque uerſus ſpargant: uel foſſula facta & lotio infuſo uel aqua, digitum moueant: ſubinde in olla porcorum pilos bulliant: nonnunquam trabes uel ligna in ripa tranſuerſè collocent, & alia id genus deliramenta efficiant: atque ut arctius eas ſatan illaqueet, diem & horam ſibi dictis rationibus notas præfigit. Quum uerò hæ ſucceſſum uident, nimirum quaſcunque deſideratas in aëre turbationes, magis confirmantur, quaſi euentus hic ſubſequatur ipſarum operationem, qua ne aquæ quidem ſtillam elicere poſſent. Nec ſanæ mentis hominem opinari decet, futili ueſanarum muliercularum actioni obedire elementa, & ad harum nutum inſtitutam à Deo naturalium rerum ſeriem impediri uel inuerti: quod haud dubiè contingeret, ſi harum arbitrio tempeſtates, pluuiæ, grandines & fulmina inſeruirent, ut quandocunque & quomodo hæ iubeant, ea inſequantur: ſic quoque diuina potentia ab humana uoluntate ſuperaretur tanquam in ſeruitutem redacta, ut pulchrè docet Hippocrates. Recta itaque erit ſententia hæc Senecæ: Rudis adhæc antiquitas credebat, & attrahi imbres cantibus & repelli: quorum nihil poſſe fieri, tam eſt palàm, ut huius rei cauſa nullius philoſophi ſchola ſit adeunda.

In Ep

Cæterùm de tempeſtatum plagarumque lucidiſsimis authoribus & cauſsis, exemplum minimè dubium in Iobo proponitur: minæ item earundem euidentiſsimæ in Prophetis leguntur aduerſus eos, quibus ad diuinæ uocis monitionem aures obduruêre. ut Aggæi ſecundo: Percuſſi uos uento urente & aurigine, atque omnium manuum ueſtrarum opera, & non fuit qui ad me conuerteretur. Et capite 1. Ponite corda ueſtra ſuper uias ueſtras, dicit Dominus. Seminaſtis multum, & collegiſtis parum, &c. Et infrà: Reſpexiſtis ad amplius, & factum eſt minus: & intuliſtis in domum, & ego exufflaui illud. Propter hoc, inquit, prohibiti ſunt ſuper uos cœli, ne darent rorem: & terræ prohibitum eſt, ne daret germen ſuum, &c. Item Iohelis 1. Diſsipata ſunt horrea, diſſe-

ctæ apothecæ, confuſum eſt triticum, ingemuit animal. Leuit. 26. Si non feceritis mandata mea, dabo cœlum uobis deſuper ferreum, & terram æneam, & conſumetur incaſſum labor ueſter, &c. Si autem in præceptis meis ambulaueritis, dabo uobis pluuias temporibus ſuis, & terra gignet germen ſuum. His & Iohelis ſecundo capite, rerum ubertas promittitur: Zelatus eſt Dominus terram ſuam, & pepercit populo ſuo: & dicit, Ecce ego mittam uobis frumentum, uinum & oleum, & replebimini in eis, &c. Eccleſiaſt. 39. Bona bonis creata ſunt ab initio, ſic nequiſsimis bona & mala. Initium neceſſariæ rei uitæ hominum, aqua, ignis & ferrum, ſal, lac & panis ſimilagineus, & mel & botrus uuæ, & oleum & ueſtimentum. hæc omnia ſanctis in bona, ſic & impijs & peccatoribus in mala conuertentur. Sunt ſpiritus qui ad uindictam creati ſunt, & in furore ſuo confirmauerunt tormenta ſua. Et in tempore conſummationis effundent uirtutem, & furorem eius qui fecit illos confundent. Ignis, grando, fames & mors, omnia hæc ad uindictam creata ſunt.

Anſam uerò huius infidelitatis pronam admodum obtulerunt ruſtici, fide in Deum uiua minus inſtructi: qui multifariam hoc etiam tempore ſecundum eorum incredulitatem uexantur à Satana, ut aliàs lac ademptum, aliàs fœtum, aliàs ſegetes, aliàs armentum etiam à Lamijs interemptum putent: & uniuerſam agriculturam non Deo acceptum ferant, ſed ſoli maleuolorum hominum ſubijciant arbitrio.

Porrò à contrario quis fortè opponet, pluuiam cieri poſſe carminibus in perniciem à maleficis: quum ex iure ſcripto conſtet, aliquos in ſalutem prouocare pluuiam. Nam lex 4. C. de mathematic. & malefic. Conſtantini eſt, qua admittit eos qui precibus, carminibus aut medicamentis pluuiam impetrare ualent, aut aliquid quod ad hominum ſalutem ſpectat, &c. Bartolus ibi: Summa & mens legis eſt, mea opinione, ut ſi quis iſtis artibus ad utilitatem hominum utatur, permiſſæ ſint, ut ſcribit Ioſephus de Solomone libro 8. capite 2. quæ alioqui uetitæ per ſe ſunt, & maximè ſi in alicuius perniciem conuertantur. Hic paucis cum bona uenia reſpondeo, Chriſtianum Imperatorem crediдiſſe aliquam in his eſſe uim, haud ſecus atque multi alij, & quidem plerique ἄθεοι ac poëtæ. Ex quo conſequitur, magnam hunc ea in re iniuriam Deo feciſſe, qui non pijs uotis & culpæ deprecationibus ſupplicandum, ſed conteſtationibus impijs ac adiurationibus cogi Deum poſſe, ut hoc aut illud nobis donaret, arbitrabatur: quin & amplam diabolo aperuiſſe feneſtram, quum uero Deo relicto, per Satanæ aut miniſtros aut miniſteria quid ſe conſequuturum conſideret.

Hic & explodenda uenit illa duodecim Tabularum lex: Qui fruges excantaſſet, pœnas dato: neúe alienam ſegetem pellexeris excantando: ne incantanto, ne agrum defruganto. Nullo ſiquidem modo incantationum uerbis aut imprecationibus fruges lædi queunt: ſed à dæmone quidem, Deo concedente, aut ueneficijs. multò minus eæ traduci aliò poſſunt: at huius perſuaſionis coloſtrum ex poëtarum uberibus ſuxerunt ueteres, ad nos quoque deriuatum.

Sub tit. de iniurijs, alijsq; delictis, l. 9. al. tit. 11.

CON.

CONCVBITVM DAEMONIS & lamiæ eſſe imaginarium.

Cap. XIII.

NVnc ad faces nuptiales & concubitū dæmonis ac lamiæ progrediamur. Atqui tam ſtupere mortalium genus, ut eiuſmodi congreſſum uerè perfici inter ſpiritum oſſium & carnis expertem,& hominem carnalem,credant, profectò dolendū. Quòd autem ipſæ lamiæ id confiteantur, ſenſus communis uſu illas à ſatana priuatas dementatasque, eò magis conuincitur. Nec enim natura fieri poteſt, nec aſſentitur philoſophia, ſpiritus corpore nudatos, amore fœminarum capi,aut ex ijs generare poſſe.Siquidem fontē habet ſuum & inferiores ortus,cupiditates:ſi deſit cauſa,deſit effectus. Vbi non ſunt membra genitalia, non eſt coeundi ſtudiū aut poteſtas. Vbi nullus in uenis ſanguis & in arterijs ſpiritus, nec eorundem fomes cibus & potus,ibi nec ſperma. Vbi nō fuit quærēda ſucceſsio & propagatio, non adhibuit generandi cupiditatem natura. Sicut ſpiritus nudi eſurire aut ſitire nequeunt, ſic nec Veneris libidine poſſunt inflammari. Se amore captos eſſe quandoq; mentiuntur dæmones, ut amētes uiciſsim fœminas in officio arctius cōſtringāt, ardenter animarum perditionem depereuntes.

Luc.:4.

At à præfractioribus ſuæq; opinionis tenacibus obtruditur ea Moſis ſententia, Quòd filij Deī ad filias hominum ingreſsi ſunt, atq; hæ genuerunt potentes & celebres uiros:atque hinc cum multis alioqui doctis uiris, dæmones poſſe mulierum cōcubitu frui & generare,conuincere ſtudent. Verùm hic non eſt difficile erroris fontē agnoſcere: nec durum probare,ſolitas ſacras literas filios Dei nuncupare dilectos illi,illumq; colētes. Vt de Iſraele: Ex Aegypto uocaui filium meum. Et in Exodo:Filius meus Iſrael.In Pſalmo quoq; clara exiſtit differētia, cum homines ſunt filij Dei,& cū non ſunt: Ego dixi, Dij eſtis, & filij excelſi omnes:uos autem ſicut homines moriemini.Ecce eoſdem filios Dei & homines appellat: ſed filios Dei, qui creati ab illo,factiq; uelut dij,futuriq;,ſi Deū coluerint: homines autem,quia in terrenam fragilitatem dilapſi,regis cœleſtis imagine denigrata.Tales erant illi eluuionis tempore filij Dei, bona progenies ex Seth, quę commiſta cum filiabus hominum, ſcilicet corruptiſsimis fœminis, quæ ſicut uxor Adā, deincepsque fermè omnes ſic maritos ſuos corruperunt: unde corruptiores filij nati,origo mali,ſanguinis pij cum impio commiſtio; propterea nati bellicoſi,ſuperbi,contumelioſi. Hæc ſunt ueriora,à natura non abhorrētia: cum illa ſint poëtarum fabulis ſimilia.

Geneſ.6. *Filij Dei qui.*

Cæterùm peculiare dęmonis prius cum uiro,deinde cū muliere congreſſus figmentum commentantur nimis impudenter, nec abſurdè admodum argumentantur pleriq; Theologi(uelut Mallei maleficarū architecti Henricus Inſtitoris & Iacobus Sprēger ordinis prædicatorum, eiuſdemq; ordinis Petrus de Palude, atque Martinus de Arles theologiæ profeſſor, & alij) eundem ſcilicet dæmonem uiri ſcelerati prius ſuccubum,effici mulieri deinde incubū: ſemēq; uiro antea ademptum, mulieris inde ſinui in ipſo actu inſtillari, atq; hinc fœtum cōcipi progignique:quem tamen Grillandus ait non dicendum filium dæmonis, ſed eius cuius erat ſperma. Proinde dum ad choreas translatæ ſunt uxores,ſatanam alium dæmonem in forma ſuccubi marito ſubſternere, qui adeò bene ſe accommodet coire uolēti, ut etiam callidiſsimum quenque falleret,ut ait

Thomas d.tit.q.5. Næ id ridiculũ nimis uidetur, quàm quod multis debeat confutari argumẽtis. Hoc ſolummodò dicã, illam ſeminis ex ſanguine & ſpiritu humano temperiem generationi aptam in ordinatis à Deo locellis, extra propria cõceptacula, qualicunq; præſertim trãslatione corrumpi & interire: propterea quòd ſpiritus ac calor ille cordis totiusque corporis nec adſit, nec quantitate & qualitate iuſta ſit in eo temperatus. quàuis eam temperiem à dæmone cõſeruari poſſe nugetur Thomas, tum propter motus celeritatem, tum fomẽta adhibendo, quibus illa defenditur. Si enim hoc fieri poſſet, quàm fœcunda monſtrorum mater tam longo tempore extitiſſet humanum genus, ſemine ex feris uel beſtijs permutato, translatoq; ab incubo dæmone, & mulieris ſinui infuſo? En horribilem conſequẽtiam.

Quæ uerò ſe paſſas illiuſmodi uenereàm cum diabolo uelitationẽ aſſerunt, ijs mentem talibus idolis & imaginibus ſomnorinis uitiauit ſatan, potiſsimùm altioris ſomni illuſione oppreſsis, ut infima corporis parte ſuccuſſata quandoq; ad eum modũ, qui Veneri communis eſt, libidinem expleſſe fateantur: quemadmodũ etiam quotidie uſuuenire in ſanis obſeruamus, quibus ex eiuſmodi ſimulachris uoluptas tanta pro obiecta in ſomno ſpecie delectabili gignitur, ut cũ multa titillatione, ſeminis ſubſequatur quandoq; effuſio. Infinitis partibus citius faciliusq; in his hominibus id euenire poteſt, quorum phantaſiam procliuem ſeruilemq; quibuſcunq; uult imaginibus imbuit ſoporis ſpiritus. Horribile huius deluſionis ſpectaculum in monaſterio Nazareth Coloniȩ anno ſexageſimoquarto ſupra ſeſquimilleſimum uiſum, & à me deſcriptũ libro 4.cap.12. de Præſtigijs dȩmonũ, nec abſimile aliud in fine cap.10. eiuſdem libri. Docetur & lib.3.cap.25. hiſtorijs aliquot, cur ex dijs ac uirginibus homines naſci cõfictum ſit, & qua ratione ſpiritus ac dij cum mulieribus coeant: oſtẽdo item cap.30. commixtionis diabolicæ figmentum comprobãtes hiſtorias omnes eſſe fabuloſas. Fui autem in eodem libro uberior ſtudiò de fœdiſsimo ludibrioſæ huius cõmixtionis negotio, ut quum omnis illa ſagarum turba ſe ea uitiari fateatur, & unaquæque ſuum certo indigitet nomine procum, ſi huic congreſſui nihil ineſſe ueritatis obtinuero, promptius uniuerſa præſtigioſæ pactionis & dæmoniacorum phantaſmatũ machina collabatur, ueritas eluceſcat clarius, diaboli regnum eat peſſum altius, & unio in populo Chriſtiano citius renaſcatur, conſerueturque inuiolatius.

HOMINES VLLIVS REI POtentia in beſtias transformari nequire. Cap. XIIII.

AD Lamiarum omnipotentiam tandem quoque refertur, quòd ſe in lupos, hircos, cãnes, feles aut alias beſtias pro ſuæ libidinis delectu uerè & ſubſtantialiter momento trãſmutare, & tantillo tempore in homines rurſus reformare poſſe fateantur, idq; delíramẽtum ab eximijs etiã uiris pro ipſa ueritate defendatur. Cæterùm admirari ſatis nequeo, ullum mortalium ſaltem leuiter mentis ſenſu tinctum inueniri, qui eò dementiæ ſit dilapſus, ut hominem ad Dei ſimilitudinem & imaginem creatum, conformatumq; ex corpore, anima & ſpiritu, Dei & ſpiritusſancti templum, rationis hoſpitiũ, cupidum ſcientiarum organum, ſublimẽ, erectum, & ad cœli quaſi cognationis dòmicilijq; priſtini conſpectum excitatũ, imò μικρόκοσμον, cui Deus omnia ſubiecit, oues, boues, campi

Geneſ.1.
1.Theſſ.5.
1.Cor.3.6.
Lactant. lib. 2.cap.12.inſt. diuinat. et de opif. Dei, uel form. hominis cap.2.8.
Seneca ad Lucil. epiſtol. 77.

Cic. de leg. & 1. off. *Ariſtot. 1. Metaphyſ. & lib. 2. Phyſic.* *Pſal 8.* *Chryſoſt. ſuper Matth.*

campi pecora, uolucres cœli & piſces maris, eaq; propter ſolum hominem condidit, hunc inquã in lupum, beſtiã irrationabilem, peſtilentiſsimum brutorum gurgitem uoraginemq;, ſiue in ullam aliam creaturã, rei ullius potentia, uel uirtute manifeſta, occulta aut ſpecifica uerè trãſmutari credat. Ordinis enim diuini prouidẽtia nõ admittit, occlamãt ſacræ literæ, contradicũt Decreta, ipſe Auguſtinus aliquot locis, D. Thomas, ipſiſsima rerũ natura atq; ratio minimè patiuntur. Si itaq; obtinuero, illã metamorphoſin nõ reuera fuiſſe factã, quod etiã nemo mentis ſanæ inficiari poterit, & propterea imaginariã eſſe cõfeſsionẽ, atq; hac in parte falſiſsimã: quã fidẽ quæſo merebuntur reliqua quæ cõfitẽtur flagitia, quę in ea transformatione & larua lupina ſolùm fuiſſe deſignata, nec aliter eo modo fieri potuiſſe, iam in confeſſum uenit? At mera profectò ſunt deliria, & pluſquã nugæ, imò inſania. Dolẽdum ſanè, prudentium uirorũ oculos hactenus tã denſa caligine fuiſſe obductos, ut ſibi uel fidei momentũ in his ludibrijs extorqueri permiſerint. Sed ea fuit ſuperioris potiſsimùm ſeculi labes & cæcitas, quo pro libidine cũ hominibus craſsè nimis, ridiculè & nocẽtiſsimè colluſit ueterator ille. Vtinã animo cuiuslibet hoc obſtricti faſcino etiamnum ex immenſa Dei miſericordia inſonet dulciſsima illa uox Ephata: ut quemadmodũ ea ex Chriſti ore potenter prolata ſurdo aures aperiebat, ueritati inde conuertendas: & linguæ uinculum ſoluebatur, qua porrò ueritatẽ prædicaret: ita & ex hac gratia luminis diuini radius effulgeat, quo offuſis tam impotenter à diabolo tenebris ſemel tandem cœleſti luce diſcuſsis profligatisque, in clariſsimæ ueritatis conſpectum & cognitionem citra præſtigiarum impedimentum rectà perueniri poſsit. Faceſſant hic poëtarum figmenta, Circes omnipotentia, Demarchi fabula, Apulei metamorphoſis, & Luciani transformatio. De lycanthropia morbo, quo ſe in lupos conuerti credunt homines, conſule lib. 4. cap. 23. de Præſt. dæm. & de naturali ſexus humani mutat. cap. ſequens eiuſdem libri.

1. Parte 8. q. 5. epiſc. *De ciuitate Dei libro 18. cap. 18. & libro de Spir. et anima ca. 26.* *In quæſt. de Mirac.* *Marc. 7.*

Si qui uerò obuagari in Liuonia & locis finitimis uideantur lupi noxij, quos lamias putant, Germanis Werwolff dicti: ij certè uel ueri ſunt lupi, in eiuſmodi tragœdiã exagitati à dæmone, qui interim horum uagis erroribus & actionibus, deliriorum λυκανθρώπων phantaſiæ organa imbuit uitiatq;, ut ij ſe eſſe excurſionum erronearum & actionum authores corrupta imaginatione arbitrentur fateanturque: quod quidem diabolo non eſſe difficile, ex deſcripto λυκανθρωπίας morbo cuilibet non omnino rudi conſtat, dum humores & ſpiritus in hæc ludibria idoneos commouet, potiſsimùm quibus atræ bilis nebulæ cerebrum uitiare ſolent: cuiuſmodi exiſtit fatuum monſtroſumque id genus hominum. uel certè dæmones cenſendi ſunt eiuſcemodi lupi, qui eam aſſumpſere formam, ut malè credulos hos homines magis irretirent ſuis uaframentis, inſontes grauarent, & ſanguinis innocentis reum redderent magiſtratum. Interea ij qui ſe in lupos credũt tranſformatos, alto immerſi ſomno diaboli ſtudio, alicubi iacere comperiuntur, quorum ſomnia ijs confundit imaginibus, quas hominum oculis præſtigiosè in pueris uel inſectandis uel uorandis, ſine armẽto lædendo, aut longè lateq; hinc inde uagãdo, aut uario impetu inſiliendo obijcit ueterator ille: ut profectò nõ leuiter denuò mirer, cordatos inueniri uiros, qui deluſorũ horum hominũ confeſsioni tanquam

ueraciſsimæ innixi, mortis ſententiã contra eoſdem pronunciare non grauentur. Sed uno ab illis uerbo categoricè mihi uelim reſponderi, utrum uerè in lupos tranſmutari homines credant, nec'ne. Nihil condere aut uerè unquam tranſmutare diabolum potuiſſe, multò minus eiuſdem clientelam, copioſè in noſtris de Præſtigijs dæmonum libris demonſtraui. Solius id Dei munus & opus eſt, cuius priuilegij prærogatiua neminem dignatus is eſt unquam, occlament ut uolent, furiantq; quicunq; uiri ſanguinum.

RIDICVLAS ESSE RES *quibus lædere creduntur lamiæ.*

Caput XV.

MAleficium adhæc, aut ſi mauis, ueneficium, etiam ſine contactu inferre nonnunquam poſſe creduntur lamiæ, cum aliquo eius excremento cui nocere debet maleficium, cuiuſmodi eſt urina, ſtercus, ſanguis, capillorum & unguium præſegmina, atq; ea hoc uel illo modo tractari, aut generaliter includi membris canis, ſimilibus aliquo modo his quorum in homine ſunt partes aut excrementa, claudiq; oſſe mortui hominis, ac in illius nomine ſepeliri, alia in ueſtibulo, alia in uijs crucis formam habentibus, alia in torrentibus. Hæc autem merè inania eſſe & ridicula, atq; ſatanæ inſtinctu in uſum uocari ad eũ finem, nemo dubitet, quaſi aliquid hic poſſent res prorſus nihili, inefficaces ac friuolæ, quo à ſe deſignatũ id quod apparet malum, à dæmone conſtructum, uel aliàs occulta Dei uoluntate aut naturæ uitio natum, credant non ſanæ fœminæ, potiſsimùm quum eas noua imbui uirtute, ex inepta uel blaſphema aliqua admurmuratione, aut imprecatione maligna, falſa opinentur perſuaſione.

Sic nuper Hammonæ iudex quidã Heſſus narrabat, ſe quæſiuiſſe è quadam celebri & famoſa ſaga, quã tum uinculis coercebat, poſtea autem Vulcano conſecratam, quá ratione quis lamiarum maleficia euitare poſſet? Quiſque, reſpondit illa ſeriò, detrita & uetuſtate multoq; uſu conſumpta calceaméta cuſtodiat. Quaſi uerò eorum opera inferri uel etiam arceri maleficia ualeant. Cui mens ita ſtupet, ut has non ſentiat nugas?

Quòd etiã res uiles aut noxia pharmaca alicubi repoſita, ex interuallo tranſcenſa aut præterita, noxam inducere, uel ex diſiunctiſsimo etiã ſpacio, ceu neruo emiſſa excuſſaque uiolenter ferri in eos quos petunt, nonnulli arbitrentur etiam inſignes & docti uiri, non mihi ſit ueriſimile. Si enim congenita ueneni uirtute eiuſmodi infertur uirulétia, eam quoſcunq; uel tranſcendétes uel prætereuntes ferire neceſſe eſt, quum delectus ſit expers materia uenenoſa. Secus auté experientia & res ipſa docet. Proinde ſi ſolummodò quibus malè uolunt illæ uetulæ, læduntur, non ueneni halitu cõtinget noxa, ſed maleficij ratione. Id porrò nihil eatenus poſſe, iam demõſtraui: ſi tamen nocumentum hinc ſubſequi uideatur, certum eſt ab ipſo ſatana, ex Dei aſſenſu, ob hominis lædendi incredulitaté, uel etiam ut hic probetur cum Iobo, idipſum excitari. Ille eſt qui excæcat mutilatq;. Interim deliræ huic anui, quę materiam uenenoſam uel qualemcunque aliam ſepelijt, id, ut dixi, quod ab ipſo perpetratum eſt, uel aliàs contigit, ita in mentem firmiter ſuggerit perſuadetq; dæmon, ut à ſe factum eſſe illa credat aſſeratq;.

Res uiles aut pharmaca in locis semotis sepulta non poſſe nocere.

Cæterùm ea diaboli ludibria utplurimùm uim ſuam ſortiri, ut dixi, ob impiam hominum credulitatem, qua in eiuſmodi potentiam dæmonis con- *Ephes.1.*

ſentiunt

ſentiunt, certum eſt. Enimuerò ſi ſerpens ſub oſtij limine repoſitus, fœcunditatem amoliri potuit, ut in Maleficarum malleo legitur: quur in illis regionibus, ubi ſerpentum numerus domos peruagatur, non omnes ſterileſcunt fœminæ? Si quoque olla in fundo putei arcis recondita, ad congreſſum reddere potuit impotentem quendam Comitem, uti ibidem narratur: quur non omnes ex communi puteo aquam uſurpantes elanguêre? At organa generationi deſtinata præpedijt dæmon (id quod uariè naturali ratione poteſt) donec ollam ex inſtitutione mulieris dæmoniacæ cõcremaſſet malè credulus Comes: tumque deſtitit ille dæmon libenter, quò in falſam de uetula opinionem Comitem reliquosque pertraheret.

Prima 2. partis. q. 1. ca. 1. 6. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. ubi uaria in hanc rẽ leguntur exempla: multa itẽ ſuperſtitioſa & impia per totum ſparſa librum.

Carmine adhæc uel maleficio teſticulos totáue pudenda pleriſque auferre dicuntur lamiæ: at ſi quid eiuſcemodi apparet, ſenſus illorum à dæmone obtundi, & oculorum aciem perſtringi cenſeo. In integrum ſiquidem reſtituuntur, quum teſtibus aliquandiu orbati fuerint uiſi. Hic ſatanæ potentia & arte nerui horum pudendorumque ad ſuam conuelluntur originem, quemadmodum plerunque in deploratis morbis fieri uidemus, malæque notæ argumentum dicit eſſe Hippocrates: Teſticuli pudendaque retracta, uehementes dolores atq; lethale periculũ ſignificãt. Intermoritur enim facultas uitalis, & nerui uerſus originẽ retrahuntur. In dæmonis uerò operibus minimè illud uitæ naufragium hic pertimeſcendum: nec naturalis ea perpetuò ſubeſt cauſa. Ille etenim ad tempus faſcino obiecto deludit, uel doloſa neruorum retractione fallit. Ita fit, quòd poſtea, ubi ad uetita conſilia ſic affectos adegerit, impietatiſque reos effecerit, libenter ab opere deſiſtat, coactus minimè, licet ſe cõpelli ſimulet, ut ſuperſtitionis ſtudia cõfirmet, alioſq; iiſdẽ arctius irretiat. Si etenim hæc membra uerè adẽpta fuere, quando hoc factum eſt, & quibus medijs? Num citra ſanguinis effuſionem, partium læſionem & uulnerationem omni adempto ſenſu id fieri potuit, & uel momento ſanari? Et ſi hoc quoque, licet ἀδύνατον, donemus, unde quæſo contigit reſtitutio, ſi prorſus ea à corpore auulſa, & proinde alimento & uitali fomite deſtituta, tanto tempore mortua, putredinique obnoxia fuere? Num ſatanæ eſt & angelorum eius noua creare: aut ablatis omnino partibus uitali uirtute deſtitutis, redintegrare pro ſuo arbitrio uitam, ac ueluti colla eas agglutinare, aut ſua potentia genuino affigere loco: quemadmodum à Chriſto aurem Malchi à Petro abſciſſam, indubitanter credimus reſtitutam? Minimè gentium. Antea auditum eſt, nihil planè dæmonẽ poſſe condere, explicatumq; quid illi ἀμίμητον uel inimitabile.

Clem. lib. 5. recogn.

Teſtes carmine nõ adimi.

Lib. 2. 10. praſag.

Eaſdem quoque è iuncis lac emulgere fertur: quorum ſubſtantia leuis, rara, fereque exucca, id ſanè non admittit, aduerſatur ratio & ipſiſsima ueritas. Quî ergo fit? Si ullum iuncos trahenti appareat lac, hoc profectò à dæmone eò transfertur, præſtigiarum fuco lamiæ oculis obducto, ut ſua emulctione lac è iuncis extractum credat: quod tamen deluſorium eſt, nec rei ueræ hiſtoria. Idem dictum uolo, ſi ex alia inepta materia lac prouocari aſſeratur. Si lacte deſtitui præter naturam comperiantur uaccæ, eiſdem lactis receptacula & canales impedire poteſt dæmon non aliter aut minus, quàm dixi congreſſum in hominibus poſſe inhiberi naturalem.

Lac inſuper à lamijs uitiari, ut diſſoluti glutini more, tenacibus filamentis ductile reddatur, generali aſſeritur decreto. Naturæ autem uitium hic illis tribuitur. Sic etenim rei ueritas habet. In lacte tres ſunt ſubſtantiæ commixtæ, nimirum butyrum, caſeus & ſerum. Si iam lac uetuſtate nonnihil ſubaceſcere incipiat, quod æſtate citius, hyeme tardius euenire ſolet, & tum coquatur: mox caſeus cum butyro coit concreſcitq́;, ut ad ductilis collæ modum etiam longiſsimè deduci extendiq́; poſsit: & ſi circum diſtenſa circumuoluatur expandatúrue ligna, ad tantam peruenit ſiccitatem, ut fragile reddatur, & in puluerem redigi queat.

Atqui ſe intuitu, praua uoluntate, & imprecatione dira inferre noxã poſſe confitentur. Sed nec oculorum corruptos radios, nec Plutarchi ἀποῤῥοίας, id eſt uaporum defluxus & potentiã eouſque noſtra uibrare feriréue corpora poſſe, oſtendi lib. 3. cap. 35. de Præſtig. dæm. Quæ connata ſunt, nullum hic locum habent, ubi, num delectu certo aut peculiari uolũtatis priuilegio quis nocere ualeat, controuertitur. Nec ulli uetulæ aut obſtetrici (quæ corrupta multorum eſt opinio) nec ulli mortalium, quantumuis maligno aut ſcelerato diaboli mancipio, conceſſum eſt, imprecãdo uel beſtijs uel hominibus detrimentum inferre: aliàs ſatanæ potentiã exuperaret hominis maligna uirtus, ſi homo pro deprauato ſuo arbitrio hic poſſet, quod dęmoni ſcimus denegatum: quum hũc nihil omnino aut intus aut extrà poſſe citra peculiarem Dei aſſenſum, ex ſacrarum literarum traditione manifeſtũ ſit: quo ſuffragante, in procinctu ſtat ſpiritus ille neq; ã, opinione celerius corpus uel ingrediens uel collidens. Hæc unica eſt eius uoluntas, ſpes & expectatio; Dei nutũ obſeruat & calculum expetit, non uerò malitioſam ullius hominis imprecationẽ: quæ ſi tantillum haberet momẽti, uix homo in rerũ natura ſupereſſet, qui nõ uel dæmonũ myriadibus infarciretur, uel ab ijs auferretur, uel peſte tolleretur, uel lue Gallica, aut Iobis ulcerib. fœdiſsimis conſpurcatus lugeret: ita domos, cõpita, uicos & urbes his diris & imprecationib. perſonare ubilibet audias, ut nec parentes liberis, nec liberi parentibus parcant, imò ſeipſos leui de cauſa pleriq; deuoueant horribiliter, ſicq́; eiuſmodi execrabilis ſalutatio coniugi à marito plerunq; etiam hora matutina expectãda, & ediuerſò. Sæpenumerò ira perciti nonnulli, uſqueadeò his aſſueſcunt uotis, ut in habitũ ea degenerẽt. & pro decoro tandẽ habeatur atq; orationis lenocinio, ſi in familiari colloquio uel amica ſalutatione uel riſu iucũdo, horrẽdæ eiuſmodi concrepẽt uoces: quas tamẽ nullũ ſortiri effectũ in aliũ, palàm cernimus: tãtùm maledici hominis olim rationẽ reddituri, niſi pœnitudine cõuertatur, lædũt animam. Atqui potius, ſi quid imprecationes ualere quis urgeat, omnibus erit indubitatè æterna ſalus expectanda: quũ nemo ſit, cui non aliquis ſalutem precetur perpetuam: quæ precatio ex Dei uoluntate ſit, quemadmodum ex ſatanæ impulſu illa maligna. Si quandoq; ex malitioſa parentũ in filios imprecatione ſiniſter aliquis euentus ſit uiſus, nihil cõtra nos facit, ob peculiarem ingenitãq́; parentũ cũ filijs ſympathiã, cuius nomine exemplũ quandoq; horrendũ proponere ſolet Deus. Quamobrem Plato quoque nihil parentis imprecatione filijs cenſet periculoſius. Contrà uerò accidit pijs: quemadmodum in Iſaaco, Iacobo, eiuſq́; liberis, item Tobia & eius filio apparuit.

Malum imprecandi conſuetudo uulgaris.

Lib. 7. de Legibus.

Gen. 27. 49.

Tob. 5.

QVOTQVOT VVLGO' LAmiarum maleficio affecti creduntur, & quorum ita læſorum ſacra meminere Biblia, omnes à diabolo uel exerceri uel obſeſſos eſſe. Cap. XVI.

Maleficio affecti.

NVnc eos ſpectemus, qui à lamijs cruciari exiſtimantur. Ij certiſsi mè ſunt, qui uarijs & inſolitis plerunq; modis præter naturam, Dei aſſenſione, à dæmone in ſuis corporibus exercẽtur, ſiue homines ſunt, ſiue beſtiæ: quum ille ea aliàs uel ſubit, uel etiam nõ intrò ſubit, ſed utiles corporis humores exagitat & inficit, aut noxios in partes traducit principes, uel hiſce uenas ductusque naturales obſtruit, uel inſtrumentorum ſtructuram luxat, uel ſpiritus cerebri turbat, multifarijsq; imbuit formis: quos interdũ quoq; excitat, ut in ijs hominibus uirtus animalis ſe exerat potẽtius quàm in ſanis: ſiue uenenata materia, ſiue halitu intus aut foris conſpurcat defœdatq;, ac id genus reliqua, quibus ex cauſis morbi progignuntur innumeri, graues & admirandi. Nec interim hominum ſubſtantia & facultates ab hu ius ſubtilis artificioſiq; hoſtis maleficio immunes liberæque permanent. Exemplum luce meridiana clarius in Iobo cernimus, cuius, diaboli ſtudio, primùm quinquaginta boum iuga, & quingentæ aſinæ abripiuntur, pueriq; cæduntur: ſecundò, ouium ſeptem millia cũ pueris igne cœlitùs demiſſo conſumuntur: tertiò, camelorum tria abducuntur millia, & famuli occumbunt: quartò, domus, ob procellas impetuoſiſsimas à ſatana excitatas, ab imis ſedibus conuulſę ruina opprimitur omnis ſoboles. Vbi nec harum calamitatum aceruo Iobum à Dei cultu tranſuerſum agere poſſet, quin adhuc nomen Domini ille cõſtantius glorificaret: demũ, conſentiente Deo, eum ulcere peſsimo à planta pedis uſq; ad

Iob. 1.

uerticem percutit, deformatq; tam fœdè direque ſatanas, ut ille in ſterquilinio ſedens miſerabiliter, ſaniem teſta abraderet, adeò atroci excruciatus dolore, quò etiã mortem illi precaretur cõiunx, nec ab amicis eũ uiſitantibus agnoſceretur. Quid aliud de eo, quàm ipſum maleficio affectũ fuiſſe & incantatũ in cunctis ad illum pertinẽtibus, quis dicet? Quæ hic interceſsit dæmonis cooperaria malefica, quæ peruerſa lamiæ maleuolentia, quod execrabile ueneficę pharmacũ? Quibuſcunq; malis rebus perficiendis ſatis per ſe potẽs eſt, & uoluntate promptiſsimus diabolus, ſi diuinæ maieſtatis tantummodo accedat permiſsio: cuius nutui morem gerere, uelit nolit, cogitur.

Nabugodonezarem regem Babyloniorum furore percitũ, & in deſerta ab hominum conſuetudine pulſum, fœno ueſcentẽ more bouis, figura uitiata, capillis eius in aquilarũ ſimilitudinẽ creſcentibus, & unguib. eius quaſi auiũ, mẽte adhęc turbata, acerbiſsimè exagitat totum ſeptẽnium diabolus.

Satanæ maleficio multis cruciabatur tẽporibus dæmoniacus in regione Gadarenorũ: è monumẽtis, ſuo quippe domicilio egreſſus, nudus, ac ſupra modũ ſæuus, adeò ut per illã uiã tranſire poſſet nemo: neque enim catenis eum ligare poterat quiſquã, propterea quòd cũ ſæpe cõpedibus cõſtringeretur, & catenis uinciretur, ijs ab illo diſcerptis comminutisq;, à dæmonio in deſerto agebatur. Vociferabatur autẽ: Quid rei tecum nobis eſt Ieſu fili Dei? Veniſti huc ad cruciãdũ nos ante tempus. Dæmones uerò rogabant, ne imperaret, ut in abyſſum abirent, ſed eos in porcorũ procul in monte paſcentiũ gregẽ demigrare permitteret. Chriſto hic annuente, egreſsi in porcorum gregem abierunt, eumq; præcipitem impetu egerunt in mare, ut ſuffocatus in-

terierit. Hic & porci fermè bis mille dæmonum maleficio agitati, in ſuam ruunt perniciem.

Nónne & ille, quẽ ſpiritus immundus diſcerpens, proijciensq́ue in medium, qui & Chriſti iuſſu exijt, nihilq́; nocuit, inter maleficio correptos ſuũ ſortietur locum?

Huc referatur lunaticus, qui à puero ſpiritũ habebat mutũ, quo ubi agitaretur, lacerabatur ſpumās ac dentib. ſtridens atq; areſcens: quẽ frequẽter etiam in ignem coniecit ſpiritus, & in aquas ut eũ perderet: neq; à Chriſti diſcipulis, ob eorũ incredulitatẽ, expelli potuit: puerũ uerò tandẽ ad Chriſtum accedentẽ, continuò diſcerpebat, ut in terrā prolapſus, uolueretur ſpumans: uſqueadeò à ſpiritu exeunte Chriſti iuſſu, iterum dilaniatus, ut mortuus à multis haberetur: donec manu illius arrepta, à Ieſu erigeretur.

Nónne paria cũ noſtris, qui maleficium pati credũtur, ſenſit mulier quæ infirmitatis ſpiritũ habuit, à ſatana alligata octo & decẽ annis, atq; ita contracta, ut omnino caput erigere non poſſet, uinculo iſto à Chriſto ſabbathi die ſoluta?

Habeat & is hic locum, cui lingua erat alligata à dæmone, ut loqui nequiret, Matth. cap. 9. item qui cæcus & mutus à diabolo factus fuerat, Matth. cap. 12.

Quis niſi animi planè præfracti, inficias ire audebit, ſi hi quos recenſui, nũc temporis ſpectarẽtur, uno ore acclamaturos pleroſq; omnes, hos puerſæ alicuius uetulæ artificio ita præter naturam uariè exagitatos eſſe, miſerè demẽtatos, contractos, lancinatos, diſtractosq́ue? Atqui cuius arte, dira hac calamitate illos opprimi teſtatur Scriptura? Dæmonis. Cuius cooperatione aut imperio? Nullius, ſed tantũmodo propriæ dæmonũ uolũtatis malitia. &c

Dei permiſsione ex arcano ipſius conſilio, ut illi uel probarẽtur, uel caſtigarẽtur, emẽdarentúrue. Nec uſquam in uaſto ueteris & noui Teſtamẽti uolumine exemplũ, ubi in affligẽdis corporibus alicuius lamiæ operā uſurparit, aut etiā requiſierit ſatan, cõperies: nihil illic tamẽ prętermiſſum eſſe, quod huius potentiam, actiones fraudesq́; oſtẽdere queat, fatendũ eſt. Neq; etiā alicuius opera indiget ueterator ille, abundè ſuo marte potẽs ludificare homines, eorũ mentis & oculorũ aciem præſtringere, morbis præter naturam cruciare, ulceribus ferire, aërẽ multifariam turbare. Per ſe maleficia operari diabolum, in Malleo legitur, nec in his indigere mulieris malicioſæ cõſenſu. ſed & ſagæ perditionem quærit: unde & ipſam cooperari aliquo modo cogit. Permiſſu illi tantùm opus eſt, teſte Gregorio, cui uoluntas ſemper mala. Interim tamẽ à ſe deſignari eiuſmodi flagitia, aliosq́ue ſeuerè torqueri, & in rebus externis fœlicẽ impediri ſucceſſum, & quæcunq; alia diaboli miracula perfici, habent perſuaſiſsimũ, confitenturq́; deluſæ quædam aniculæ.

Secũda 2. partis quæſt. 1. cap. 7.

Eas iam dixi, diuerſis de cauſis à dæmone ita obſidione uallatas, earũ mẽtẽ tam grauiter faſcino lęſam, cerebrũ cogitatuũ imaginationũq́; organũ tā raris fraudulẽtisq́; phantaſmatibus & formis ob incredulitatẽ implicitũ confirmatũq́; (quẽadmodũ in grauib. ſomnis atq; etiā melancholicis uſuuenire quotidie, oſtẽdi ſuprà) ut aliud neſciāt, torturisq́; ſubiectę fateātur ſua eſſe facinora, quæ ipſarũ ſaltẽ ſunt phãtaſia, reuera autẽ ſatanę, Deo huc cõniuẽte. ſic aliquẽ crebrò à ſe læſorũ recenſent numerũ, quorũ alios occæcatos, alios mutilatos, nonnullos hoc uel illo modo à ſe excarnificatos, falſa opinione dicũt: quo nomine non tā maleficæ, q̃ maleficio affectæ effaſcinatæq́; appel-

Lamiæ male

lari meretur. Quotquot uerò tã crudeliter & multifariã quibuſcũq; etiã con uulſionum generibus, morbis prodigioſis, uomitu & deiectione pręter naturam torqueri, hunc uel alium imitari ſonum, uocem edere, certos mendaciter notare, denominare atq; accuſare homines, uti atrocis ſpectaculi architectos, obſeruamus, cũctos à dæmone maligno mendaciq; citra alterius cooperationẽ agi uexariq; (niſi quandoq; uenenũ uel propinatũ uel applicatum acceſsiſſe intelligatur) ingenuè fateor, atq; adeò ſanctiſsimè aſtruo.

DE REBVS MONSTROSIS ORE *reiectis, quas non fuiſſe in corpore, multis oſtenditur argumentis.*

Cap. XVII.

Materias ore reiectas, non fuiſſe in corpore.

HVc ſpectat rerum mõſtroſarum per os reiectio, qua pręſtigiator ille quorundam ſenſus ita præſtringit, ut eas ex corporis meditullio eductas eſſe, dubitare nollent. Sunt autem panni lanei rudioris laciniæ utplurimùm, item claui ferrei iuſtæ interdum magnitudinis, eorumq; fragmenta, fibulæ ferreæ & æreę, acus, aciculæ, eæq; complures numero, quandoque colligatæ, uel panno inſertæ, fili inuolucra. Hæc à me uiſa ſunt. Nonnunquam & oſſa euomuntur, ſubligacula, atq; reliqua id genus longè abſurdiora monſtra: ſæpius magnitudine œſophagi etiam, quoad fieri poſsit, in homine uino tenſi diſtractiq; naturalem diductionem exuperantia, quibus nec alius ab ore introrſum laxior patet meatus. Quo uel unico irrefutabili argumento facilè conuicero, ea dæmonis ſubtilitate uelocitateq; imperceptibili, ori ingeſta, noſtris adhæc oculis uel celeritate eius uictis, uel faſcino deluſis, uel interiecto corpore aëreo, aut aliter motis eò intus uel foris uel utrinq; humoribus aut ſpiritu, caligantibus. Sic nos fallaci ſuo machinamento multiformiter exercet ille milleartifex.

Quũ Neomagij apud Geldros quidam arrogantius in Paſchæ ferijs degl utiret ouum gallinaceum integrum, quod naturalem œſophagi expanſionem ſuperaret, illud in eo coarctatum reſidere nequiuit, unde quoque compreſſa arteria mox ſuffocabatur.

Si porrò inſtes urgeasq;, ea non ex ore ſolùm, ſed penitius ex corpore reiecta eſſe: dic quæſo, quo loco antea in corpore hæſerint aut delituerint, quum nullus ſit corpori reliquo cum ore meatus communis, excepto œſophago, pręter arteriam aſperam, cuius caput larynx ex tribus cõponitur cartilaginibus. Eius orificium, dum reſpiramus, dilatatur: quum deuoramus, comprimitur utplurimùm, nonnunquam exactè, ob quod ligamentis mẽbranoſis neruoſiſq; coarctatur. Ea arteria ſolummodò ſpiritum purum & impurum, recrementiciumq; efflatu inſpiratuq; tranſmittit: aut humidum quiddam, puta ſanguinem, pituitam, ſaniem, aut pus tuſsi expectoratum: nihilq; grauius hanc, niſi cũ uitæ naufragio, etiamſi exigua admodum materies dura hàc caſu aberret, tolerare, manifeſtum eſt. Enimuerò quàm graues laterum dolores cum ſicca quadã tuſsicula triennio cum mortis periculo prius excitarit, quàm ex pectore tuſsi propelleretur auellanæ magnitudine lapillus, narrat Antonius Beniuenius. Recitat quoq; Alexander Trallianus exemplum de quodam, qui longo tempore tuſsi uexatus, non potuit, ne ualde tuſsiret, liberari, quouſq; calculum expuiſſet leuem, durum & renitentem: & niſi conſilio uſus fuiſſet, illum ſimiliter ijs qui tabe laborarent, moriturum cenſebat. Idipſum cuidam ciui Duisburgenſi accidiſſe memini. Hac itaq; ratione ſtrictius hoc uas du-

Ar[…] aſper[…] Lary[…]

Lapi[…] reiect[…]

De a[…] morb[…] cauſ[…] 24[…]

rum, cartilaginoſumq; ab illa multa, ampla,ſolida,uarieq; conformata ſubſtantia liberum eſſe oportere conſtat. gus. Hinc per œſophagum cibo potuique deſtinatam uiam,atq; alterum oris interiorem meatum, è uentriculo illa rerum miracula uomitari, ſi imis corporis partibus antea inhæſerint,neceſſariò ſequetur.Eum autem ſtrictū,deinde m uē & omnino neruoſum exiſtere, cū eruo primis uerò eius extremitatem,nimirum valde uentriculi orificium, ideoq; exactiſsimo tactus ſenſu præditum eſſe,ac leui flatu aut halitu putrido facilè affici, humore etiam acri uel acido grauiter pungi, ſæuiſsimaq; cieri mala, norunt medici. li de Pleroſq; adhæc ex flati- lati- bus in uentriculo generatis ex pituito umo ſis aut alioqui uitioſis humoribus, aut ex cibis in uapores ab imbecilli calore reſolutis,grauiſsimis uideas torqueri doloribus: alios ex coaceruatis crudis ſuccis, uel etiá uitioſis aut acribus in uentriculi ore,in ſyncopen aut præceps animi deliquium incidere.Quoſdam etiam ex alimentorum prauitate, aut malignorum humorum qualicunq; copia, ut à bile admodum corrupta,aut à pituita ſalſa acri, excruciat mor- cholera morbus: in quo uomitibus & deiectionibus tanto plerunq; impetu bilioſa excernuntur, ut cum humoribus,multis quoq; exhauſtis ſpiritibus, uires affatim proſternantur, ſitiant ægrotantes ac ſudent, tremor cordis ſyncopeq; ſuccedant, interdū & mors acerbiſsima.

His exactiore lance penſiculatis, collataq; grauiſsimorum morborum, ſymptomatumq; exitialium cauſa materiali, cum ingentis duriſsimæ atque adeò acutiſsimæ materiei, uelut ferreæ, æreæ, ligneæ, oſſeæ, præſtigioſa uomitione, tum etiam expulſione rei lineæ laneæq;, uentriculo & eius ſenſili apprimè orificio ita noxiæ, ut ſuffocationem plerunq; quis uereatur, ſi in faucium partes exquiſiti admodum ſenſus uel pilus impegerit, nedum acicula, aut acus (quas etiá cum periculoſa uitæ lucta uel diſpédio ignoráter ſubinde deglutiri cernimus:) uno profectò conſenſu, adeoque ore uno, ob rationis ueritatisq; robur, hic aſſerendum atq; proclamandum erit, dictam rerum ore egeſtarum congeriem, à præſtigiatore ſubtili, celerique dæmonio in os ſolùm & fauces imas, nec ulterius impelli impingiúe, quaſi ſtrangulationem minitante: acie oculorum noſtrorum interim eluſa,uel ſpiritu optico turbato, uel eius radijs obſcuratis, ne prodantur præſtigiæ. Sic ſimpliciores exiguæq; fidei homines expeditius in ſuam illicit naſſam ueterator. Aliqui uerò affecti ita, ab alijs inſontibus,& ſe magis fortè pijs,ipſiq; Chriſto fidelioribus, eiuſmodi ſibi irrogatam iniuriam,malumq; inflictum mendaci ſatanæ ſuggeſtione,imò ipſius factitia uoce ebuccinant: id quod meis coràm accepi auribus.

Adde quòd ſæpenumero nihil doloris in ſtomacho ante acutæ,pungentis,radentisq; huius ſubſtantiæ rudioris expuitionem uiolentam ſenſerint: quum fieri nequeat, quin in ea huiuſmodi rerum copia, una tranſuersè acta, facilè alicubi inhæreat, quæ ſuos pariat continuos poſtea cruciatus: quemadmodum de muliere quadam, quæ acum æneam deglutierat, tradit Beniuenius:unde primùm nihil ſenſit *De abd. morbor. cauſ. ca. 10.* incommodi,inde cœpit eam circa uentriculum urgere dolor ſatis acutus: quo dum indies magis magisq; affligeretur,plures conſuluit medicos, nihil de acu uorata, quæ memoriæ penitus exciderat, referens. Variæ fuerunt hinc inde ſententiæ: alij enim ab acriore humore, alij à uento inter ſtomachi tunicas recluſo, cæteri uerò ex

malo habitu excitari hoc malum puta bant. Sicq; iam annis decem ex una acu, urgente dolore acerbo, miſerrimam illa trahebat uitam: donec acus perforato uentriculo ſe prodidit prodijtq;. Iam ad inſtitutum.

Ad cuius aſſertionẽ inſuper facit, quòd tametſi mox uel paulò lõgius à cibo ſubſequatur uomitus hic ludibrioſus, nihil tamen cibi uel chyli appareat mixtũ: quod à me diligenti inſpectione obſeruatũ eſt. Adhæc eueſtigiò ab eiuſmodi dura, acuta multiformiq; re expulſa, qua omnino uentriculum & œſophagum lancinari radiq;, ſi profundius quàm ex oris cauo reijceretur, oportuit, innoxiè quaſi in ijs locis illæſi comedunt. Hoc à me non ſemel circiter annum quadrageſimum octauum ſupra milleſimum quingenteſimum, apud Geldrorum Arnhemiam, ubi tum ſtipendio publico medicabar, uiſum eſt: quò hominum hiſce modis à dęmonio exercitorũ adducebantur plauſtra, quorum uentriculum (in quo eas res portentoſas ſupradictas reſediſſe neceſſe eſt, ſi ex imis corporis partibus, quod omniũ propè erat iudicium, expellebantur) quum ante & poſt uomitionem ſumma diligẽtia uigilantiq; ſtudio in multorum conſpectu contrectarem, ualideq; ſurſum ac deorſum pugno, palma & digitis uario torquerem modo, ut ſi quid grandioris, aſperæ, acutæq; materiæ illo contineretur ſinu, non amplius poſſet latere, ſed reniſu in duriorem ultrò citroq; impellentem manus meæ, hinc etiam ſuam læſionem ſenſurę, contrectationem ſe detegeret: uel nauſea, ob non leuem certè eiuſmodi palpitationem, uiolenter concita reijceretur: nihil prorſus tamen animaduerſum eſt unquam eo momento euomi, nec ullam à contentis putatis iniuriam ſenſit uentriculus. Quod omnino fieri nequiuiſſet, ſi altius quàm ex ſinuoſo oris hiatu proſilijſſet obiecta oculis noſtris ex ore materia. Huc facit ſingulare D. Pauli Grillandi Iuriſconſulti clariſsimi iudicium, Tractatuum uolumine decimo de Sortilegis. *Vid. pue ſtig.*

RIDICVLVS MODVS RES *duras in corpus inſinuandi.* Cap. XVIII.

POrrò modum quẽdam ineptum futilemq;, quo eiuſmodi materies duræ in corpus ope diaboli à Lamijs ingeruntur, deſcribit Doctor quidam in libello Germanico, qui Iacobi domini in Lichtenberg nomine prędicatur circũferturq;. Eius inſuper fuiſſe ſententiæ, à me nõ niſi euidentiſsimis rationibus reiectę, Theophraſtum Paracelſum, non eſt quòd ægrè ferát pleriq; religioſi nimis eiuſdem admiratores. Hanc item rationem fuiſſe amplexum Ludouicum Milichium, uirũ alioqui pium & eruditum, in lib. Germanico, Magicus dæmon, inſcripto, miror. Ab his aſſeritur, corporis poros à diabolo extendi, per eosq; inſeri ſtramẽ, ſetas porcinas, aſſulas, corium, præſegmina, fila, piſcium & fruticum ſpinas, & quaſcunq; materias acutas: deinde poros occludi, ut quandocunq; uolet architectus, reconditæ res rurſus extrahi queant. Subiũgit Doctor ille has ſimilitudines: Quẽadmodũ, ubi quis ſub aqua lapidem recõdit, & eo ibi relicto manuq; retracta, quomodo eò deuenerit lapis, neſcitur: ſic quoq; naturali ratione uaginæ poros abſq; læſione penetrat, ferrumq; liquefacit fulminis radius. Non diſsimili modo in hiſce deluſionibus fit, quæ magis noxia ſtigmata uulneraq; inferunt. Hęc eius uerba Latinè reddita.

Rationes has admodũ eſſe ieiunas, quilibet rerũ naturaliũ cognitione leuiter tinctus, intelliget haud difficulter. Siquidẽ poros illos natura ex pri-

ma creatione ſtrictiſsimos, à dæmone eouſq; diſtrahi innoxiè poſſe, ut ſtramina, coria, uel cultros trāſmitterēt, deinde cōciderent, emitterētq; ſuo tēpore ad ſatanę arbitriū libidinēq;, conſeruatā tot diebus uel menſibus ſubſtantiā, prorſus ἀδύνατον eſſe, nec ullo modo fieri poſſe affirmo. Pori enim corporis à conditore tam anguſtè conſtricti ab initio ſunt, ut præter tenuiſsimum liquorem, uelut ſudorem uel uaporem craſsius aut ſolidius nihil tranſmittāt: quemadmodum etiam in duris craſſisq; lapidibus, maximè coctilibus, & lignis obſeruamus: quorum pori quidem liquorē tranſmittunt, at nihil durum aut ſolidum ſine inciſione fractione ue. Talia certè phantaſia facilè imaginatur, at in actum non item deducuntur. *itudo ia.* Similitudo ab illis ſubiuncta, de lapide in aquā manu demiſſo, profectò multum abſona exiſtit: ridiculumq; eſt, conferre hominis corpus ſolidum compactumq; cum humida, tenui & fluitante aqua, omnium capace, quæ naues & quodcūq; uoles, natura admittit. Sic nec igneus ille ſubtiliſsimus radius uaginæ poros peruadens, quicquā habet ſimilitudinis cum craſſa & dura re, quam in corpus humanū per poros illæſè intrudi contendunt aduerſarij. Niſi demonſtrationis uanitatem quilibet palàm cerneret, in confutādo prolixiorem me oſtenderem: probationes uerò non diſsimiles ſparſim in illo Doctoris libello ſunt obuię. Quædam autem naturaliter in corporibus quandoq; reperiri, quæ ad maleficia nonnunquam referuntur, oſtendi fuſiſsimè capite 16. libri 4. de Præſt. dæm. ubi & cap. 13. admirabilis legitur hiſtoria de puella, è cuius latere culter fuit exectus: & cap. 9. de quodam, cui uiuo exciſus clauus, & poſt mortem cultri, lignum, ferramenta: & cap. 10. religioſæ adducuntur uirgines dæmoniacæ, quæ Lamiarum maleficio exagitari credebantur: ſimiles cap. 6. enarrantur: atq; omnibus illis locis obſcura lucidè explico.

ANIMANTIA NATVRALIBVS *morbis uariè affligi, qui Lamijs attribuuntur falsò.* Cap. XIX.

IVmenta adhæc à Lamijs affligi perdiq; atrociter, uulgaris conſtansq; eſt opinio. At ea numeroſa ſæpius *Peſtes iumentorum.* ad internecionem grauiſsima proſternι peſte his peculiari, hominesq; non infeſtante, item pręcipitibus alijs morbis in ſuo quæq; genere, partim hominibus quoq; familiaribus, partim pleriſq; pecoribus proprijs, ſubitò tolli, ab optimis agriculturæ & ueterinariæ artis uel mulomedicinæ ſcriptoribus tam ueteribus quàm recētioribus memoriæ proditum eſt: qui tamen morbi à uulgaris ingenij hominibus, ne alios nominem, maleficia frequenter creduntur.

Sæpenumero id contuemur, & ſuperioribus annis proximis contigiſſe meminimus, ut ſolos iugularit boues peſtilentia quædam: ſæuit etiam nonnunquam, quæ ſues, quæ oues, alia quæ gallinas interimat. Pecudes ferasque tollentem pulchrè deſcribit Virgilius: *3. Georg.*

Hic quondam morbo cœli miſeranda coorta eſt
Tempeſtas, totoq; autumni incanduit æſtu,
Et genus omne neci pecudū dedit, omne ferarū,
Corrupitq; lacus, infecit pabula tabo.

Diſcrimen uerò paulo antè expreſſerat:

Quàm multæ pecorū peſtes, nec ſingula morbi
Corpora corripiunt.—

Pecudes etiam pharmacis pabulo *Venenis tolli pecora.* iniectis, aut alicubi ſparſis ut deguſtentur uel halitu attrahantur, affrictu item uel applicatione pernicioſe quandoque lædunt perimuntque uenefici. In ducatu Vuirtenbergico non procul à Tubingą carnifex ueneficij non igna-

rus, anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimoquarto, in pecoribus hac arte tollendis ſpecimen edidit. Etenim quũ ex pacto huic cederent morticinorum animalium coria, atque alia quæ hincuſui eſſe poſſent, hic boues, oues & porcos in paſcua ex more deductos,ueneno clàm perimit,ut inde frequenti nimis pellium numero, ſæui item & pinguedinis talentis non paucis Auguſtæ Vindelicorum & Argentinæ uenum expoſitis diſtractisq;, diues breui euaſerit.Proinde & ſuſpicione oborta,ueneficij accuſatur,quęſtionibusq; ipſi familiaribus ſubditus, rem uniuerſam confitetur.Dat & pœnas forcipibus ignitis diſtractus in principio Auguſti.Huc ij quoque pertinent,qui pugiunculis iumentum certis locis confodiunt, retracta prius ſeorſum cute,ut ubi ea remiſſa uulnus impreſſum tegitur, lateat dolus,atque ea ratione mortuum, perijſſe maleficio iudicaretur.

In pecoribus exagitandis dolus.

Pleriq; item agyrtæ ſtudiò lupi ſtercus clàm in pręſepibus condunt,quod olfactu animaduertentia pecora, uoracemq; hoſtem uerita, ob antipathiam quandam,miro exagitantur furore,ut maleficio ea torqueri,firmiſsimè credant ignari, apud huius artifices conſilium inquirentes. Eadem ratione fertur, caudam lupi in boum uel equorum præſepi ſuſpẽſam', eos ab eſu exterrere. Metu etenim ob odorem perculſi, obliuiſcuntur cibi eſurientes: quemadmodum hominibus quoq; in magnis timoribus uſuuenire experimur.

Ob noſtra peccata peſtē pecorum,& frugum ſterilitatem inferri.

Peſtem ſimiliter pecorum,quemadmodum & frugum ſterilitatem, quò & uinearũ pernicies referenda, interdum à diuina uoluntate ob populi flagitia prouenire,obſeruandum eſt. Sic ob Pharaonis duritiem peſtis graſſatur in pecus, ulcera in homines & iumenta, grando item in uniuerſa Ægypto.Luculenta huius teſtimonia apud diuinum uatem Ioelem cap.1. Aggæũ cap.1.& 2. item Leuitic.26. Vide huius libri caput 12.

Exod.7.

Eiuſcemodi uerò rerum ſuarũ iacturam quidam fiducia in Deum uiua minus confirmati impatienter tolerant, uniuerſam agriculturæ rationem non ad Dei benedictionẽ in uera fide, ſed ad meras anicularũ uolũtates referentes:ideoq; nõ cum Iobo,quicquid detrimenti accedit, Deo acceptũ ferunt, uerùm ad diuinos & ariolos, ſacrificos, diabolicarũ actionum patronos, quaſi à Lamia, ſatanæ adminiculo, ad eam deuenerint ſtragem iumenta,cõfluũt:qui inde ementitis uotis,& quacunq; poſſunt fallaci perſuaſione, hos dãno & incredulitate bis miſeros, in malitioſa opinione ſemel cõcepta obfirmant,adhibita etiam non ſolùm ſuperſtitioſa,ſed & impia curatione.

EXPERIMENTA IN DIGNOſcendis Lamijs fallaciſsima.

Cap. XX.

HInc tanquam ad ſacram anchoram in Lamijs citra hæſitationẽ cognoſcẽdis,& uelut digito cõmonſtrandis,ad aquas confugitur,ubi manibus pedibusq; colligatis,uel pollice manus dextræ,magno digito ſiniſtri pedis,& uiciſsim pollice ſiniſtrę,digito magno dextri pedis tranſuersè uinculo aſtrictis, Lamias maleficij reas,aquæ iniectas nunquam ſubmergi, at ſupernatare,uelut certũ experimentum,nec fallax indiciũ eſſe,apud magiſtratũ & carnifices in pleriſq; ditionibus obſeruatur:næ illud nimis eſt ridiculum,mirumq; huic inſulſę perſuaſioni ullum hominẽ, uel leuiter rationis ſenſu præditũ,fidei tantillum apponere.Quandoquidem maleficiũ ſi quod eſt, cumprimis è mente emergit, dum cũ diabolo cõfœderatas Lamias, Deo

renunciaſſe creditur. Quid hic cauſſæ cōminiſceris, quo minus in aquis ſubſidere, quàm aliæ, debeant? Natationis ſiquidem cauſas, uti leuitatē, raritatē, ſpiritus ſuſtinentis concluſionem, corporis uiui habilitatem, idq; genus reliquas naturales occaſiones, nō magis ineſſe his corporibus, etiam ſontibus, ut quidem fateor, ita aſſerere audeo, ſiquid eiuſmodi præter naturæ ordinē ſpectetur, id fieri ſuffulciente fœminas, de quibus etiā falſa eſt ſuſpicio, diabolo, ne ſubmergantur (conniuente Deo ob incredulitatem magiſtratus, fallax hoc experimentum admittentis) quo in ſententiā iniquam iudicem inducat tandē hac fraude impoſtor ille, ab initio ſanguinarius. Corpus nullo pacto immutat, ut rarius aut leuius & natationi conuenientius reddatur, fidei abnegatio, uolūtas mala, uel corrupta phantaſia. Hic profectò credi magis oportet naturali rationi, quàm ementitæ experientiæ, ſtultæ & ineptæ, nulli etiam nixæ rationis baſi, & obſeruatæ ſæpenumero falſæ, propterea quoq; à diabolo inuentæ, & ab homine Chriſtiano profligandæ.

Similis temeritatis, & ſuperſtitioſæ dæmoniacæq; falſitatis experimentū eſt, quod in Malleo legitur: Die Dominico ſotularia iuuenū, axungia ſeu pinguedine porci, ut moris eſt pro reſtauratione fieri, perungunt: & ſicubi eccleſiam intrant, tamdiu maleficæ eccleſiā egredi nequibūt, donec exploratores aut exeant, aut illis exeundi licentiam expreſsè cōcedant. Nec abſimile erit, quod in hāc dignotionē pleriſq; in locis obſeruatur admodū impiè, ubi ex terra quam ter ſparta primùm in ſepulturā inijciūt paſtores, portiuncula Miſſæ ſacrificio ſcilicet ſanctificata, calcando templi limini ſupponitur: nec Lamiam, ſi in templo ſit, tum poſſe egredi putatur. Itē aſſulas ſume ligni quercini, in quo aliquis fuerit ſuſpēſus, uel ſe ſtrangularit: inſpergantur illæ aqua luſtrali, collocēturq; ad templi ingreſſum: nec niſi aſſulis ſummotis, exire ualebit.

Huc ſpectat id quod in libello Coniurationū Romę & Auinioni impreſſo legitur: Ad corrigendū & notificandū maleficam, accipe mulctram nouā, & fotmulam caſealem nouā, & ſtanneā nouam, & mulge de omnibus uaccis quas habes, tantum lactis, quod poſsit formare uel facere unum caſeū in nomine illius maleficæ, & forma per prædicta uaſa unū caſeū: & quū factus eſt caſeus, perfora cum armilla acuta totū caſeū, & per hoc denudabitur ipſa malefica in facie. Conſidera item maleficam in frōte illius, quia diabolus abradit eam cū ungula poſt conſenſum ad delendam ſacram unctionē baptiſmatis, ita ut ſtigma in frōte gerat: id quod tamen ſemper, quantū poteſt, cum peplo uelare nititur. Hoc à me dilutum eſt capite ſuperiori ſeptimo.

QVAE IN MALEFICII INQVIſitione ſunt facienda: nec ſoli confeßioni ſtandum eſſe. Cap. XXI.

PОrrò regulā hanc minimè fallacē à quæſtionibus obſeruare decuit, ut de ſingulis illis flagitijs iā confeſsis, accuratè cū iudicio inquiratur: quas alios paſſos dicūt, fatenturq; ærūnas & calamitates à ſe illatas Lamiæ, num ita ſe habeant, uel in rerū ſint natura: & ſi cōperiatur quoſdā ita læſos, uel morbos aut damnū perpeſſos eſſe, ut iam ab alijs hæc cōfeſsis, deſignata huiuſmodi mala putētur: inde quibus medijs, materiebus aut organis perpetrata ſint, penitius inueſtigetur: & nū illa media, materies aut inſtrumenta iſtiuſmodi effectibus producēdis ſint apta cōſonaq;. Vbi naturaliū rerum & uirtutū cognitione celebriū medicorū iudicia in conſiliū accerſeātur, quem-

Cōfeſsioni mēte læſi non eſſe ſtandum.

admodum in alijs quoq; caſibus eos ſpectantibus fieri uolūt leges. Vt enim nō eſt alicuius melācholici aut mente uitiati ſtandū cōfeſsioni: ita etiā ex harum confeſsione nō eſt infligenda temerè punitio, niſi ex certis circūſtantijs & demōſtrationibus euidentibus indubitatū conſtet ueneficiū uel uenenatio, pharmaco uidelicet propinato aut illito: aut eo loci, unde halitu certò ferire potuit, depoſito. Oportet ſiquidem probationes luce meridiana eſſe clariores, maximè in actione, quam uocant, criminali, quæ Iuriſconſultorum laudabilis eſt ſententia. Nā in hoc maleficij negotio multa turbulētè, uel ex ſiniſtra opinione aut ſuſpicione: uel malitioſè ex maligno affectu: uel ob morborū difficultatē aut rerū iacturā, ex incredulitate, quòd nō ſatis Dei iuſtæ uoluntati ex animo ſe totos quidā tradant ſubijciantq;, dicuntur: multa confuſè de alijs ſpargūtur, confeſsione item illuſarum à dæmone uetularum ſanciuntur, diabolo frigidam hic ſuffundente, & machinationis clauū fideliter dirigente: ut ſi quis aurem applicet facilem, accuſationem & confeſsionem ratas exiſtimans, ita ſe tandem deluſum ſentiet, quò tanquam in labyrintho inexplicabili inuolutus, nunquam ſit exitum inuenturus, ſi ad legum normam & iuris rigorem cuncta ex auditis exequi ſtatuat. Ea ſatanæ ars eſt, res uſqueadeò tricis ſubtiliſsimis implicare confundereq;, ut nec ulla Theſei ſagacitate extricari, nec Oedipi prudentia explicari queant. Sic uel in principijs omnino ſubſtitiſſe, & intra metas ſe continuiſſe, aut maturè retrogreſſum eſſe præſtare, ne diabolo ab initio homicidæ, ob aperta mendacia aut ueritatem dolo falſitateque uitiatam, aperiatur feneſtra, per quam ſe in actiones noſtras inſinuet, ipſa re & uſus obſeruatione

In actione crim. oportet probationes eſſe clariſſ.

comperi. Nec omnem longius graſſandi occaſionem ſatanæ præcidendi, compendioſior unquam erit uia: alioqui mendaciorum, calumniarum falſarum, ueritatis momento interdum mixto, ut dolus lateat, criminationum atque accuſationum nullus uidebitur modus aut finis. Proinde hic ſuum habere neruum ſententiam uerè auream Iuris Pontificij optarim, 30. q.5. cap. Nec illud: & ſunt uerba Victoris ad Theophilum: Interea nullatenus iudicemus, quouſq; ueniat Dominus, qui latentia producet in lucem, & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit cōſilia cordium. Quamuis enim uera ſint, non tamen credenda ſunt, niſi quæ manifeſtis iudicijs cōprobantur, niſi quæ manifeſto iudicio conuincuntur, niſi quæ iudiciario ordine publicantur, &c.

Nec prætereundum fuit quod omnium eſt iniquiſsimum, Confeſsiones hic ſępenumerò tormentis exquiſitiſſimis & cruciatibus intolerabilibus extorqueri à tortoribus tyrannidis prærogatiuâ famoſis, ut pleręq; uetulę ſemel momento flammas, quibus à tam enormibus & continuò repetitis acerbius torturis liberentur, ſuſtinere malint, quàm in eiuſmodi eculeis & Phalaridis tauris tā inhumana atrocitate perpetuò recludi, extremè rurſus excarnificandæ. Hinc & confeſsiones ſi ad ueritatis canonem exigantur, rationum trutina penſiculentur, & inueſtigatione iuſta diſcutiantur, adhibita poſsibilitatis & impoſsibilitatis cognitione exacta, comperientur dubiæ, non cohærentes, frequenter & inſulſæ, futiles, mendaces, & ut plurimùm erroneæ, ijs quibus mentis oculi ab affectuum nebulis, & erroris ſemel pertinaciter concepti præiudicio fuerint abſterſi. Ad truculentæ huius tragœdię actus egregiè perficiē-

dos, accerſuntur ſanguinarij utplurimũ ſpiculatores, qui flagitiorum inauditorum, & ſæpe in rerum natura non exiſtentium cõfeſsionem potionibus eliciant: quæ profectò nõ ex alijs poſſunt apparari ſubſtãtijs, quàm quæ uel inebrient aut dementent. Ab ijs itaq; quibus mens eiuſcemodi potionũ ui læſa eſt, quomodo ueritatem, cui in re criminali fidendum, inquiſieris? Quũ etiam conſtantia tanta fateantur hæ anus, quæ uaniſsima & mera eſſe mendacia in ſuperiorib. capitibus aliquot demonſtraui, quur in reliquis tantopere confeſsionis certitudo opponitur, quæ ſi in uno erronea fuerit, in alijs quid ſolidioris fidei merebitur? Quinimò hic mihi eximiorum Iuriſperitorum conſilia & decreta ſuffragantur. Ioannes Frãciſcus Ponziuibius de Lamiarum confeſsione ita argumentatur: Cum tales perſonæ ſint illuſæ, ut dictum eſt, ergo dici debet, earum confeſsionem etiam eſſe erroneã, nec admittendam. l. error. No. in l. de ætate. §. fin. ff. de interroga. action. Confeſsio enim debet continere uerum uel poſſibile: ut per gl. Bald. & alios in l. 1. C. de Confeſs. per gloſſ. in c. fi. de confeſſ. in 6. ff. ad leg. Aquil. l. inde Neratius. §. fin. Sed iſta reſpuunt ius & naturam: ergo non ſequitur: Iſtæ mulieres ſic confitentur, ergo ſic eſt. Nã confeſsio longè diſtat ab actu (uel actus poſsibilitate:) & quicquid eſt contra naturam, deficit in ſuis principijs, ergo naturaliter eſt impoſsibile. Prȩterea in criminalibus regulariter nõ ſtandum ſoli cõfeſsioni rei, ut per Bald. & Aug. in l. 1. C. de confeſs. Nec obſtat, quod dicit Bald. in d. l. ſiquis non dicam rapere: quia eius dictum procedit in hæreſi, in quantum perficitur in ſola mente & cogitatione: quo caſu bene, ut inquit ipſe: quia cogitatio mentis, quam ſolus Deus nouit, nõ poteſt aliter probari, quàm per confeſsionem, ideo ſtatur ſoli confeſsioni. Sed confeſsio, de qua in caſu noſtro, continet actum ab extra, & minus poſsibilem de iure & natura, ac etiam minus ueriſimilem: & ideo poteſt dici, quòd licet, quoad ea quæ credunt, ſit ſtandum confeſsioni earum, quoad punitionem: quia talis credulitas pendet ab animo & uoluntate: non autem quoad hoc, ut quia ſic ſit, uel ſic fiat, ſicut aſſerunt.

DE VANITATE CONFESSIOnis Lamiarum, earundemq; innocentia, inſignium Iuriſconſultorum ſententiæ.

Cap. XXII.

PRius maturiores illuſtriũ quorundam Iuriſperitorũ ſententias proponere uolui, quàm ad pœnæ formam in mulctandis Lamijs progrederer. Narrat inſigne illud legum lumen Andreas Alciatus, hæreticæ prauitatis (ut uocãt) inquiſitorem in ſubalpinis uallibus, aduerſus hȩreticas mulieres, quas ueteres Lamias, nos Striges uocamus, inquiſiuiſſe, & ſupra centum flammis conſumpſiſſe: quotidieq; ceu noua holocauſta, alias ſuper alias Vulcano obtuliſſe, è quibus nõ paucæ helleboro potius quàm igne purgandæ uidebantur: donec ruſtici arreptis armis uim illam inhiberent, & negociũ ad epiſcopi iudicium deferrent. Inde pòſt: Et quamuis aliqui ex maritis, magnæ fidei homines, aſſeuerarent, eo potiſsimùm tempore, quo illæ in ludo & choreis ſub Tellina arbore fuiſſe dicebantur, ſe exploratum habere, in lecto potius ſecum fuiſſe: tamen reſpondebatur, non illas, ſed cacodæmonem potius, uxoris forma aſſumpta, marito illuſiſſe. Atqui ego replicabam: Cur non potius cacodæmonem cum ſuis dæmonibus, illam uerò cum marito fuiſſe præſumis? Cur uerum corpus in ficto luſu, phantaſticum in uero lecto comminiſceris? Quid hic

lib. 8. Parergôn iuris, capite 22.

opus eſt uſqueadeò augere miracula, & non tam Theologum quàm τερατολογεῖν agere, ſeueriorem q́; partẽ in pœnis eligere? Conſtabat ex illis actis, ſemel in eo ludicro per quandam mulierculam nomine Ieſu appellato, omnem illum apparatum, omnes ſaltatrices cum amaſijs ſuis repentè euanuiſſe: quî fieri id potuit, ſi uera fuiſſent corpora, & non phantaſmata, & Tantali horti? Quod apud Philoſtratũ lib.4. etiam Apollonius Tyanæus cenſuit, & apud Plutarchum in Bruti uita C.Caſsius. Nam & medici maximos affectus corruptæ mẽti, imaginariæq́; ludificationi tribuunt: unde ephialtici, afflati, ſuperſtitioſi, incubitati, amore furẽtes, imaginoſi, lycaones, cynanthropi, qui tamen medicamentis curantur: uidenturq́; hæc eſſe quæ Plinius & alij ueteres Faunorũ ludibria appellant, pœoniaq́; herba emendari cenſuerunt: ut etiam harum pleraſque curari poſſe ſit ueriſimile, niſi quòd pauperes & fœmellę omnes ſunt, quibus talis facultas nõ ſuppetit. Ego certè magis iuri Pontificio communique noſtratium Doctorum interpretationi hac in quæſtione, quàm Theologis iſtis tribuerim, maximè in re à Synodo deciſa in Cõcilio Anquirenſi ca.1. ubi talia phantaſmata mẽtibus à maligno ſpiritu irrogari ait. Et rurſus: Infidelis, inquit, non in animo, ſed in corpore euenire opinatur: quis enim in ſomnijs & nocturnis imaginibus non extra ſeipſum deducitur? Quæ etiam uidetur fuiſſe Auguſtini ſententia lib. 18. de Ciuit. Dei, ca.18. ubi: Verum, inquit, corpus nulla arte dæmonũ conuerti poteſt, ſed phantaſticum: quod etiam cogitando ſeu ſomniando per rerũ innumerabilia genera uariatur: & quum corpus non ſit, corporum tamen formam capit, ſopitis aut oppreſſis corporeis ſenſibus, ita ut uera corpora alibi iaceant ſenſibus obſeratis. Nec refert, quòd ibi Herodiadi aut Dianæ honor exhibetur. Hactenus Alciatus.

Paulus item Grillandus de Sortil. 10. uolum. Tract. Quidam maritus ex oppido agri Sabinenſis habebat uxorem maleficam ſiue ſtrigam, ut uulgò dicunt. De crimine autem ſolùm erat ſupicio, non certa notitia. Nam quum aliquoties à marito rogaretur, nũ eius eſſet profeſsionis, negabat cõſtanter. Creſcente porrò rumore, & uiris fide dignis apud maritum eius flagitij uxorem inſimulantibus, quòd ea familiariter uteretur alijs mulieribus huius criminis ratione cognitis, cum quibus etiam ſe turpibus miſcere ſceleribus, & nocturnos agere cœtus uidebatur: decreuit maritus ipſam in eiuſmodi operibus obſeruare & apprehendere: & cœpit pluribus noctibus diligenter & attentè inuigilare. noctesque circiter duodecim egerat inſomnes, attendens ſtudiosè, num illa aliquò ad dæmonum luſum, uel aliud maleficium noctu euagaretur, & num penes ſe in lecto permaneret nocte tota, quando lectum conſcendiſſet: nihilq́; fraudis unquam comperit, ſed manibus illam ſemper in lecto contrectauit. Quũ uerò poſt dies paucos unà cum quibuſdam alijs de eodem crimine accuſatis, in carcerem conijceretur, ſubdereturq́; quæſtionibus, cõfeſſa eſt demũ, ſe tali interfuiſſe luſui unà cũ alijs mulierculis incarceratis, flagitijque huius reis, tali die, undecimo menſis, &c. tali nocte, hora tali, &c. idem fatebantur & aliæ. Maritus uerò in coniugis patrocinium afferebat præſtito iuramento grauiſsimo, eam illa nocte deſignata, & maximè illa hora, ſecum decubuiſſe in eodem lecto, & ſe eam tum ſtudiosè non ſemel tantùm tetigiſſe, ſed pluries, ac cum ea loquutũ fuiſſe.

Idem ibidem: Nota, ait, unum ualde ſingulare, quòd iſtorum apoſtatarum duæ ſunt ſpecies. una eſt, quæ ſimpliciter retrocedit à fide, & ſequitur cultum & obedientiam dæmonis: altera eſt, quæ poſtquam Chriſti fidem abnegãdo reliquit, & deiecit ex corde ſuo, iterum ſe baptizat expreſsè in nomine diaboli, & aliud nomẽ ſibi ſuperimponit. licet utraq; ſpecies ſit damnata, prior tamen, ſi peccatum ſuum reuocat, admittitur ad pœnitentiam, & euitat pœnas corporales, ſicut hæretici, ut l. Manichæos. C. de hæreticis. Identidem Theologi authores Mallei, in tertiæ partis initio, quæſt. 35. his uerbis docent: Ex corde uerò apoſtatæ, ſi nolunt reſilire, ut hæretici impœnitentes, tradentur curiæ ſeculari. Si autem uelint, recipiuntur prout hæretici pœnitentes, iuxta c. ad abolẽdam. §. pœnit. de hæret. lib. 6. Concordat Raymund. tit. de Apoſtol. c. reuertentes. ubi dicit: Quòd reuertentes ab apoſtaſiæ perfidia, cum fuerint hæretici, tanquam reuertentes ab hæreſi, ſunt recipiendi: et hic ſumitur unum pro alio. Et in 2. parte Decret. ca. 26. quæſt. 5. Epiſcopi: Ex præmiſsis authoritatibus colligitur, quòd arioli, aruſpices, incantatores & ſortilegi, atq; cæteri eiuſmodi ſectatores ab eccleſia ſunt eliminandi: & niſi reſipuerint, perpetuò excommunicandi. Sed quòd in ultimo Anquirenſi ca. ea quæ fiunt per incantatores, non in corpore, ſed in ſpiritu fieri dicũtur, Auguſtinus in lib. de Ciuit. Dei, idem uidetur aſſerere, ita dicens: Quæ magorum præſtigijs fiunt, nõ uera, ſed phantaſtica eſſe probãtur. Quare criminali actioni in lamias hic nullus erit locus.

Qua inſuper moderatione, nimirũ certa ignominia & exilio eaſdem puniat magiſtratus Bononienſis, deſcripſi lib. 6. cap. 19. de Præſtig. dæm. quæ profectò nonihil adhuc uetuſtatis Italicæ prudentiam ſapere uidetur, & infinitis præferenda modis aliorũ quorundam tyrannidi, qui ad flammeum illud holocauſtum præcipites nimis ferũtur, olim iuſtam talionem, niſi reſipiſcant, ſenſuri.

QVOMODO LAMIAE MENTIS *errore à diabolo affectæ, nec ulli noxiæ, ſunt reducendæ, & quæ eis ſtatuenda pœna: nec omnem uoluntatem eſſe puniendam.* Cap. XXIII.

QVæ ergo lamię errore & phantaſia deluſæ, & ſatanæ peruerſa inſtitutione ſeductæ cognoſcantur: nec alicui ab eiſdem malum reuera, at ſolùm imaginatione illatũ eſſe ſciatur, ſaniori doctrina informandæ erunt, ut repudiatis dæmonij ludibrijs, Chriſto ſacramentum rurſus præſtent, atque uti luxata ex corporis compage membra, debita ligatura reſtituantur pœnitẽtes. Quantopere hic fidelem myſteriorum Dei diſpenſatorem eniti deceret, ut ad Chriſti ouile reduceretur ouis perdita, nemo nõ nouit. Suum quoq; hic habebunt locum publicæ & communes preces ex animo fuſæ. Admodum hic piè D. Iacobus admonet: Fratres, ſi quis inter uos errauerit à ueritate, & cõuerterit quis eũ, ſciat quòd qui conuerti fecerit peccatorem ab errore uiæ ſuæ, ſaluam faciet animam à morte, & operiet multitudinem peccatorũ. Nec hæreſis ſolùm in errore, quòd quis dæmoniorũ doctrinę adhęret, ſigitur: ſed in ſui confidentia quoq;, concepto faſtu & præfracta pertinacia, ubi nulla admittitur admonitio: errorem etenim ſeductionemq; mentis cõfeſſus hæreticus, ſemper remiſsionẽ ueniamq; ex Patrum conſenſu & Chriſtiana manſuetudine meretur. Nam, teſte Seneca, quem pœnitet peccaſſe, penè eſt innocẽs. Et apud Eccleſiaſticũ: Pœnitentibus dedit uiam iuſtitiæ. Eiuſmodi itaq; malè à

Iacob. 5.

In Thyeſte.

Eccl. 17.

lè à dæmonio perſuaſæ & reſipiſcenti fœminæ, rectiusq; iam in Chriſtianæ fidei ſanctiſsima baſi confirmatæ, pecuniarum quoque (ſi eius res ferant) mulcta in pauperum ſubſidium imponi poteſt, & quæcunq; alia arbitraria, non tamen uitæ pœna, pro delicti ratione & magnitudine. Vel ſi iniungere uoles mulctam eiuſmodi fœminæ irrogatam à Romanis Pontificibus in taxa ſacræ pœnitẽtiariæ, ut ipſi uocãt, per me licet. Ibidem legitur: Mulierẽ incantatricem, poſtquam ſuperſtitiones abiurauit, in quolibet ſupradictorum caſuum taxari, Turon. 6. duc. 2. Si etiam ex uſu ob reipubl. tranquillitatem conſeruandam uidebitur, ut exilio ad certum tempus puniatur, donec uitæ innocẽtia uerè ſe conuerſam eſſe, & fidelem, perſiſtereq; comprobet: ac deinde libertate hoſpitij priſtina rurſus donetur, non cõtraierim. Eiuſmodi eſto pœna temeritatis, quòd dæmoniacæ ſuggeſtioni & ludibrijs non ſatis conſtanter reſtiterit, imò etiã conſenſerit fatua. Huc accedit, quòd mulieres minus puniẽdas eſſe uiris in eodem delicti genere, cæteris tamen per omnia paribus, uniuerſus legum conſenſus uelit, nimirum ob animi, mentis & ingenij imbecillitatem, & ſexus infirmitatẽ. l. ſacrilegij pœnã, in princ. D. ad legẽ Iul. pecul. & l. ſi adulteriũ. §. ſtuprum, & §. fratres, & §. inceſtam. D. ad legẽ Iul. de adult. & c. ſicut dignũ, in princip. extrà de homicid. & c. indignantur. 32. q. 6. Et text. in l. quiſquis. §. ad filias. C. ad legem Iul. maieſt. &c.

Lex Cornelia, ff. lib. 46. tit. 8.

Nec eſt quòd hic lex Cornelia de ſicarijs & ueneficis mihi obtrudatur, quæ ſuum ſolummodò locũ habet, ubi de ueneficis, aut ijs qui uenenũ malum necãdi hominis cauſa fecerint uel uendiderint uel habuerint, agitur.

Non omnis uoluntas punienda.

Quòd ſi quis contentioſè uoluntatem ſeuerius puniendam defendat, is primùm diſtinguat inter uoluntatem hominis ſani perfectam, quę in actum uerè dirigi cœperit: & inter uitiatæ mentis ſenſum, uel (ſi uoles) corruptam amentis uoluntatem, cui ſuo opere, quaſi alterius eſſet, colludit diabolus, nec alius inſulsè uolentem ſubſequitur effectus. Tale uoluntatis uitium impingi etiam poſsit melancholicis, fatuis & pueris, qui facilè inducuntur, ut uel hæc uel alia ſe deſignaſſe mala falsò imaginentur fateanturque, qui tamen à Deo renes & corda ſcrutante, non æquè plecti permittuntur, ac alij mentis compotes: multo certè minus ab hominibus id fieri oportuit.

QVARVNDAM OBiectionum confutatio. Cap. XXIIII.

HAud me hic latet, non infimæ doctrinę uiros inueniri, qui prioribus meis de Præſtigijs dæmonum libris, & huius Compendij capitibus aliquot ſuperioribus conſentientes, fatentur quidem mecum, lamias mirifica opera, quæ uulgò facere creduntur, præſtare non poſſe, nec tactu, afflatu, imprecatione, uoce, murmure, uerbis, nutu, uel alijs inſtrumentis corporeis noxię facultatis expertibus aliquem lædere: ac ferè ſuperſtitioſas eſſe fabulas & phantaſmata, quæ de earum uiribus referuntur, quòd nimirum per fornacẽ ſtrictũ uel aliud anguſtius foramẽ in aërem ui cuiuſdam unguenti ferãtur, plerunq; & baculis inſidentes: quòd per clauſas fores ingrediantur: quòd momento in bruta tranſmutentur, & tantillo tempore in homines redeant: quòd tempeſtates cieant: quòd morbos pro ſua libidine immittant quibus uolunt: quòd denique rerum minimè pernicioſarũ exhibitione interficiant: quia illa nec ex proprijs naturæ uiribus efficere que-

unt, nec per facultates inſtrumentorum quibus uti ſolent, nec opera diaboli, cuius potentia ſit limitata, neque excedat aut uires inſitæ ſubſtantiæ, aut aptitudinem agentis & patientis, aut habilitatem materiæ. Hæc inquã, & plura alia mecũ agnoſcunt: at quũ ad poſtremam inſtituti mei partẽ peruenitur, in qua lamias nõn ita temerè ſupplicio uitæ mactandas oſtendo, à me ad oppoſita deficiunt caſtra, & faſces ad incendia conclamitant. Opinionem uerò penitius imbibitam ſex conantur ſtabilire argumentis: quorũ primum eſt, quòd comprehendantur ſub lege Dei iubentis apud Moyſen Exodi 22. maleficas occidere: ſecundum, quòd fœdus ineant cum diabolo, abiurent Deum, aliumq; colant: tertium, quòd homicidæ ſint: quartum, quòd nefariam libidinẽ cum immundis ſpiritibus exerceant, & conuiuentur: quintum, quòd ſeducant alios: poſtremum, quòd portentoſas & uetitas artes ediſcant.

Cæterùm quamuis haſce rationes & copioſè & efficaciter in libris meis refutatas ſperaſſem: quia tamẽ quoſdam eſſe intelligo, qui ſibi nondum à me per omnia ſatisfactum arbitrẽtur, ordine ſumam refellenda quàm breuiſsimè præſcripta ſex capita. ac quoad primum, ſatis demonſtratum exiſtimaui cum ex etymologia Hebraicæ linguæ, tum ex Septuaginta interpretum ſuffragio, tum Rabinorũ conſenſu, tum Ioſephi explicatione, legẽ Moyſis in cap.22. Exodi intelligendã de ueneficis: ad hoc obijcitur, Veneficia comprehendi ſub titulo talionis & homicidij. Non enim illum homicidã ſaltẽ eſſe, qui lapide, fuſte, pugno, gladio, ſecuri aliquem interfecit, ſed etiã qui puluino, laqueo, manibus quempiam ſuffocauit, uel ex alto pręcipitauit, uel ueneno ſuſtulit: ac proinde nõ fuiſſe opus peculiarem promulgare legem de ueneficis, & idem diuerſis locis repetere. Friuolum omnino iſtud eſſe argumentum, is cognoſcit, qui nõ admodum ieiunè in Moyſis lectione uerſatus eſt. In Leuitico enim quoties non repetũtur leges Talionis? In Deuteronomio quum pleræq; ſpecies homicidij cap.19. recenſeantur, conſtituta in quamlibet pœna, tamen cap.27. rurſus maledictio in eum pronunciatur, qui clàm percuſſerit proximum ſuum. Sic cap.22. Exodi legitur: Aduenam non contriſtabis neq; affliges: aduenæ ſiquidem & ipſi fuiſtis in terra Ægypti. quod tamen cap.23. iiſdem uerbis reiteratur. Ita in Leuitico cap.19. habetur: Nõ attondetis comã, nec radetis barbam. quod cap.21. repetitur. Et Deuteronomij cap.27. iubetur, ne accipiat homo uxorem patris ſui, aut reuelet operimentũ eius: quod antea cap.22. etiam pręcipiebatur. Nihil ſiquidem frequentius apud Moyſen, quàm quòd multa aliquoties repetantur: cuius luculentum de hac noſtra materia habemus exemplũ apud Leuiticum, in quo tribus diuerſis locis prohibentur artes magicæ, quum potuiſſe uideatur unus ſufficere. Enimuerò cap.19. mandatur: Non augurabimini, nec obſeruabitis ſomnia, nõ declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid ſciſcitemini. Dein cap.20. Anima quæ declinauerit ad magos & ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra ipſam, & interficiam eam de medio populi ſui. Poſtea ſub finem eiuſdem capitis: Vir ſiue mulier, in quibus Pythonicus uel diuinationis fuerit ſpiritus, morte moriantur. De cauſis repetitionum non magnopere laboro: ſufficit mihi, ita placuiſſe Spiritui ſancto. Quapropter etſi de lege talionis & homicidij Moiſes dixerit cap.21. Exodi: nihil tamen

Lex talionis
Exod.21.Leuit.24.Deuter.19.

uetat

uetat, quò minus peculiari decreto damnaret eam interficiẽdi uel nocendi rationem, quę per uenena patratur, maximè quum multis conditionibus diſcrepet à cæteris homicidij ſpeciebus. Facinus enim iſtud cõmittitur & clàm, ut ſibi ne fortiſsimus quidẽ uir ab inſidijs imbecillæ mulierculæ uel famuli cauere poſsit, & ſub prætextu ſalutaris poculi, & plerunque in illos quos aut propter officia àut neceſsitudinem amare debebas, & ab inferioribus in ſuperiores. Itaq; quum tale ſcelus ſit longè indignius & crudelius ſimplici homicidio uel noxa, quur nõ eguit proprio articulo? Nec omnis ueneficus uel maleficus mox homicida erit, quum citra hominis necem, iumentis uel frugibus damnũ etiã dare poſſet. Porrò quũ animaduertãt ex 22. Exodi nihil poſſe cõtra me firmũ adduci, ad aliud cõfugitur argumentum, quòd magicæ artes ſint capitales: & quia ſub illarũ complexu contineãtur lamiarũ conatus, eas pari ſupplicio afficiendas. Antecedens à me nõ negatur, quinimò in libris meis conſtantiſſimè defenditur: uerùm applicatã conſequutionem nequaquã admitto. magnum etenim diſcrimen exiſtit inter magos & lamias, uti ca. 1. & 5. explicui. Adhæc, magi à ſeipſis habent initium diſcendi artem uetitã conquiſitis pręceptoribus & libris, ac ad eam impelluntur propriæ naturæ curioſa inclinatione: lamię uerò extrinſecus. ſiquidem non petunt inſtrui, nec pręceptorem habent aut quærunt: ſed diabolus ſeſe inſinuat apud illas quas ſuſpicatur aut propter credulitatem nimiam, aut ætatis ſenilis ſtuporẽ, aut naturæ melancholicæ triſticiam, aut ex paupertate uel perpeſſa iactura deſperationem, fore obſequentia ſuæ deceptionis illuſionisque organa, ut earum phantaſiam uarijs poſsit ſimulachris præſtringere. Et ſanè ut differentiam palpes, duo tibi ſtatuo homicidij exempla: unum ex propoſito & deliberatione malefaciendi emanãs, alterum ab illecebris aliunde exhibitis profectum. Primi generis internecionem pronunciabis, ſat ſcio, capitalem: poſterioris aut excuſabilem, aut longè mitiori mulctandam pœna. Quur ita? quia illud homicidium internam habet cauſſam, & ut cum Euangeliſta loquar, ἔσωθεν ἐκ τῆς καρδίας τῶν ἀνθρώπων ἐκπορεύεται: hoc autem ab externa irretitione oritur. Eadem ratione Adam & Eua non à ſeipſis in paradiſo comedebant pomum, nec comedere conſtituerant, quia diuinum obuerſabatur mandatum: ſed externis doloſi ſerpentis inſidijs ad facinus illiciebãtur. quare lenius etiam à Deo puniebantur. Non enim ſemper Deus reſpicit tam factum, quàm animum & uoluntatẽ: & quis aſſeuerare audebit, aniculas illas miſeras grauius quàm magos mulctandas? Præterea quum Moſis ætate non fuerint cognitę eiuſmodi, de quibus diſputamus, ſtriges, non uideo quomodo cõtineantur ſub legẽ in magos cõſtituta. Quin potius, quum ſatan nunquã ab inſidiarũ aucupãda opportunitate ferietur, diuerſis prælijs miſeram mortalitatẽ uidetur antiquitùs obſediſſe, reſeruato hoc ludibrij genere, tanquã nouo ineſcationis ſupplemento, ad hanc ſeneſcentis mundi ultimã ætatem: ut quia nõ ſufficiebat aut per falſam religionem, aut per prauas cõcupiſcẽtias, aut per alias technas allexiſſe in errorem homines, hac ſua etiam dementatione & credulas anus multiplicium formarum imaginatione confeſsioneq; imbueret, & magiſtratus manus effuſione innoxij ſanguinis contaminaret, & eorum qui tum eruditionis tum pietatis tũ profeſsionis Theologicæ nomine clarer,

aciē in animaduertēdis & dijudicandis imposturis ſuis præſtringeret obnubilaretq;. Poſtremū quod adferūt, ſcelera ad mores pertinentia, quæcunque Moſes capitalia fecit, ultimo quoque ſupplicio hodie à magiſtratu puniri debere: quanquā non uerſetur iſthæc quæſtio circa punctū noſtræ controuerſiæ, tamen non tam facilè mihi perſuaderi poteſt, ut credā. Nam apud Moſem falſum teſtimoniū mortis uindicta eluitur: ſponſa, ſi non cōperiatur uirgo, lapidatur: is qui furem interdiu in ædes irrumpentē occiderit, morte punitur: & multa inueniūtur eiuſdem ſeueritatis exēpla, quæ tamē mitigantur. Fuit tunc tēpus rigoris, nunc alicuius gratiæ. Quare quū ſcribę & pharifæi mulierē in adulterio deprehēſam iuxta Moſis mandatū lapidib. obruere uellent, quod'nā ex Chriſti ſeruatoris noſtri ore decretum audiebatur? Qui ſine peccato eſt ueſtrûm, primus in illā iaciat lapidē. Ita eam nō ſolùm in foro Moſaico defendit, ſed ſua etiā beauit miſericordia, commiſerationis documentū relinquēs. Item: Audiſtis dictū eſſe: Oculum pro oculo, dentem pro dente. At ego dico uobis, ne reſiſtatis malo, &c. Proinde quū in criminali iudicio ne quidem Moſis ueſtigia ſequamur ſemper aut oporteat ſequi, quid eſt, quur in foro cōſcientię & Eccleſiaſtico eius gladium euagines? An nos qui ſub Euangelij libertate uiuimus, reducere uis ad iugū Iſraeliticū? Vetulas igitur illas, quas confusè ueſtris clamoribus, incēdijs & contumelijs exoſas redditis, cōſtantiſsimè nego indiſcriminatim poſſe morte puniri. Politicū ſiquidē forū, in quo mille ſophiſmata quotidie perſtrepere dicitis, recuſatis: Moſaicū oſtendi in hac cōtrouerſia nō eſſe admittendū: Eccleſiaſticū uerò non debet noſtro tēpore aliū agnoſcere gladiū quàm ſpiritualem. Quāto ſanè prudētius Gallio Achaiæ procōſul denegabat ſeculare forum Iudęis, qui Paulū accuſabāt, quòd de cultu Dei docuiſſet cōtra legem? At reſpondet: Si aliqnid iniqui patraſſet aut malū facinus, meritò uos audirē: ſi uerò quæſtio ſit de doctrina & nominib. & lege ueſtra, uos uideritis, quia ego horū nolo eſſe iudex. Et ita Iudæos abegit à tribunali. Cum Diuo igitur Auguſtino cōcludere uolo, Hoc in Eccleſia nūc agere excōmunicationem, qd in republica Moſaica interfectio. *Act. 18*

Secundū aduerſariorū eſt argumentum, quòd fœdus lamiæ ineant cū ſatana, & abiurēt uerum Deū. Hoc licet antea cap. 7. & 8. copioſè ſit confutatū, ut tamē ad illud ſimul reſpondeā denuò, quæro, unde hoc, quòd pactū cū dæmone cōflarint, tibi conſtet? Certè hoc mihi donabis, quòd nec uideris, nec à fide dignis qui uiderint, habeas. Ergo ex propria ſtupidarū deluſarūq; anicularum confeſsione. At quę fatentur, uel faciunt coactæ, uel ſpontè: ſi coactę, cōfeſsio eſt mutila & nullius ponderis, quia cruciatibus torturę intolerabilibus expreſſa. Quid autē periculoſius, quàm in diabolicis negotijs ſine maleficij patrati teſtibus, pendêre ſaltem ex confeſsione anus dementatæ, per uim expulſa? Sileres haud dubiè, ſi uidiſſes oleum tibijs illarum infundi feruēs, candelis ardentibus torreri axillas, & infinita ſummæ barbariei & immanitatis tormenta exerceri in decrepitas uetulas, ſicut nos in inſontibus, partim etiam dimiſsis ob innocentiā ex noſtro patrocinio, ſpectauimus. Si ſpontè, aut impoſsibilia ſunt quæ fatentur, uti grandines prouocaſſe, per aerem uolaſſe, in beſtias ſe fuiſſe tranſmutatas, cum dæmonibus uenerem exercuiſſe, & ſimilia: aut fatentur quæ factu ſunt poſsibilia, ut uenenum exhibuiſſe alicui, ſed *Secundæ obiectionis refutatio* *Suprà ca. 11. & 12.*

tamen

tamen non eſt factum: aut fatentur quæ facta ſunt & uerè acciderunt, ſicuti eo in loco aliquem morbo correptum, infantem interijſſe, ſegetes tempeſtatibus damnum perpeſſas. Confeſsio primi generis non poteſt puniri, quia uerſatur circa ἀδύνατον: ſecũda multò minus, quòd caret effectu: tertia mãca eſt, quoniã diabolus ex euentu rei ſtatim inculcat miſerarum muliercularum phantaſiæ, ipſas feciſſe, quod naturaliter factũ, aut ipſemet fecit. Et hæc eſt rupes, ad quã offendunt ſua capita pleriq; nimis ſanguinarij iudices, ut animaduertere nequeãt dæmonis dialecticũ ſophiſma, Non cauſſæ pro cauſſa, ut cũ barbaris balbutiã. Profectò id ſatis euincit, illarũ phantaſiã uana perſuaſione imbutam, quòd ſpõtè & uoluntariè agnoſcãt ſæpe fœdus & mirabilia quæ faciũt: ſi etenim ſaperẽt, non tã promptè aliquãdo faterentur, quũ de earũ uita agatur. Neq; etiã uerum eſt quod obijcitur, lamias ſummo ſtudio ſcelera ſua tegere, tantaq; cõſtantia negare facta, ut ne quæſtionibus quidẽ ſubditę confiteantur, quãtiſper tormẽta ferre poſſunt. Contrarium ego ſæpius deprehendi, quũ citra quæſtionũ rigorem ultrò fateantur à ſe facta, quæ nec facta fuere, imò ne quidem natura rerum paſſa fuiſſet, propterea & impoſsibilia. Vnde mihi nõ inanis ſuſpicio mouetur, aduerſarios uel res ignotas proponere, uel quarum admodũ tenuem habent experientiam. Si nanque ipſarum ſenſus non forẽt effaſcinati, certè talis nõ cõſequeretur confeſsio: at multò magis ipſum facinus ſupprimerẽt, nec de illo gloriarẽtur. Quòd autẽ tam atrocia ſæpius ſuſtinent fortiter tormenta, fit quòd eiuſmodi flagitiorum confeſsio expoſtuletur, quæ in illarum phantaſiam nunquã peruenere. Sed antequã hinc abeamus, proprio aduerſariũ gladio cõfodere conabor, ut agnoſcat fœdus eſſe imaginariũ & præſtigioſum. Fatentur ſe per aërem uolare, in bruta transformari, tẽpeſtates excitare, morbos immiſiſſe imprecatione: & hæc quidẽ omnia affirmare uidẽtur tanta cum ſenſuũ integritate, ut uix poſsis de ijs dubitare. attamẽ & ego demonſtraui, & tu ingenuè fateris mecum, omnia illa eſſe uana & commentitia, diabolicisq; tincta figmentis. Si illa uana, quur reliqua quæ fatentur, debent eſſe uera, nempe apoſtaſia à Deo, fœdus cũ diabolo, homicidia, et id genus ſcelera tũ et deliria? Poſteriora enim ſi fatẽtur ſenſibus integris, quur in fatendis prioribus ſenſus erunt corrupti? aut ſi in prioribus cõfitẽdis errauit uitiata phantaſia, quid eſt quòd minus in poſterioribus etiã aberrauerit? Cuncta ſiquidẽ hæc dicunt agnoſcũtq; in una hora coniunctim, ſeparatim eadẽ cõſtantia, ijſdẽ moribus. Quid hic philoſophum decipiat, non ignoro. Illa omnia uidet fieri non poſſe, & propterea mecũ falſa & inania pronunciat: hæc autem quia fieri poſſunt, & ipſæ Striges fatẽtur fieri, putat hic etiam facta. an non animaduertit nouã diaboli fallaciã, quòd ex poſsibili cõcludere uelit impoſsibile? Aſt non opus eſt multa ut adducã ad refellendũ, noſti à poſſe ad eſſe nõ procedere argumentum: decebat in defenſionibus poſteriora cohærere cum antecedentibus.

Ad aliud pergamus argumentum. Quũ ad ſuppliciũ pertrahũtur lamiæ, aut in fœdere diabolico perſeuerant, non implorata Dei miſericordia: tunc disertè dico, nõ eſſe mox occidendas, alioquin non ſolùm corporis, ſed etiã animæ eritis carnifices & interfectores. aut à Deo ueniã poſcũt, nec alicuius uitæ nocuerunt. tum multò magis dignæ cõmiſeratione & arbitraria pœna. Omnes autẽ ferè lamię, antequam

exuruntur, inuocant æternum Deum, ipſiusq; implorāt miſericordiā, & ſæpe etiā teſtem ſuæ innocentiæ appellant, ſanguinarijs præſidibus ad cœleſte tribunal citatis. Iam rogo, quum ſe iuxta ueſtrū decretum diabolo emanciparint, unde ulla reſipiſcentia? non à ſathana: aſtutior enim eſt quàm ut ſecū pugnet: ergo à Deo. Si itaq; Deus agnoſcit & recipit animā, quur tu Prætor uſqueadeò inclementer agis, quū nulli iniuriā fecerint, ut corpus repudies, maximè quū in tuo non deliquerit foro, et tibi nullū in diuino iudicio relinquatur tribunal? quin ex me audi ſapientiſsimum Theologi recentioris conſilium, cuius nomen propter inuidiam prætereo. Is ſtudioſum quendā, qui uarijs deſperationis ex paupertate inſidijs adactus, animā ſuam tradidiſſet ſathanæ, ad præſcriptū diem ab eo poſsidendā, deduxit in templum, & cum pijs aliquot uiris pro ipſo Deū orauit, ſeruauitq; afflicti hominis animulā. Ita etiā ſi noſtrę uetulę à uera fide defeciſſent, nō oportuit eas in illa defectione enecari, ſed ſanis admonitionib. in uiam reduci: at in carceribus Deū æternū profitētur & inuocant, & multò magis in agone. Non diu eſt, q, quędā animā ſuā Deo cōmmendabat iuſto iudici, & miſericordi, quia putabat ſe ſubmerſum iri, quū in Rhenum pręcipitaretur iuxta plebeiū falſūmq; experimētū, num lamia eſſet. Si enim ſupernatet, nec ſubſidat, τεκμήριον creditur eſſe, illam criminis ream. Verùm ſuprà cap. 20. huius experientiæ uanitatem demonſtraui.

Præterea nō eſt ad hoc cōniuendū, ut quis difficiliora loca prætergrediatur, & circa faciliora nonihil uelitare conetur. Quare te uelim ſiſtere, donec paulò limatius examinemus D. Petri exēplū, non ſolùm abnegātis, ſed etiā licet mox pręmoniti, Chriſtū Dominū ſuū præſentē abiurātis. Nō etenim Petrū infirmitate lapſum dicere ſufficit. Ecquæ illa eſt infirmitas? non carnis (ut ſic opinari liceat) imò ex eius nimia uaſtitate & potētia peccamus: ergo ſpiritus. Sic & lamias meas excuſabo. At ut Petri tranſgreſsionē nō prorſus fuiſſe leuiorē intelligas, elargieris mihi peccata eſſe inęqualia, unū altero maius. Suppoſita iā una eadēq; ſpecie, primùm rogo, an nō illud grauius, qđ homo excelſus & illuminatus cōmittit, q̄ quod uulgaris & infimus peccator? Enimuerò quò altius qs aſcendit, eò decliuiorē & periculoſiorē patitur ex caſu ruinā, q̄ is paſſurus ſit, qui pauciores abſoluit gradus. Secundò quæro, an non ille magis ſuū abneget principē, quo ipſi uicinior eſt, & ornatus ab eo tū ſpectabiliori dignitate, tū plurib. beneficijs? an non abominabilius, ſi legatus deficiat à ſuo Imperatore, q̄ ſi in defectionis crimē impegerit gregarius aliqs miles? Tertiò ſciſcitor, an reliquis parib. paſtor nō delinquat inexcuſabilius tū ob repræſentationē ſublimioris perſonę, tum ob ſcandalū, q̄ unus aliqs ex grege? Quartò, an nō peccatū eò cenſebitur indignius, quò plures & uehemētiores cōſpirant illecebræ, quàm ubi minores? Quintò, an non turpior ſit nota peccati in eo qui haud ita dudū antea præmonitus, nō tamē ſibi cauet à delinquēdo? Poſtremò, an nō ad ſimplicē ancillarū & famulorū interrogationē ter negare cū iuramēto herū, ſit peccatū maius, q̄ ſi qs flexuoſis ſathanę perſuaſionib. excęcatus, ſimile cōmittat? Eiuſmodi ꝓpoſitionib. ſubſcripturū te arbitror: cōcludas ergo ipſus. At nemo iſta à me adducta exiſtimet ad D. Petri apoſtoli exaggerādā abnegationē: ſed ad caſtigādū eos qui ꝓprijs uirib. tantū aſſcribunt, & nō diuinæ ſoli gratię, quo minus in ſingulas horas, imò momenta

nomen Chriſti abiuremus: deinde etiam, quòd ſicuti Petrus ſuæ pœnitentię interuentu conſequutus eſt miſericordiam, ita & Lamiæ & nos omnes mortales impetrare queamus à Deo delictorum remiſsionem, quamuis ſemel atq; iterum defecerimus.

Tertia obiectio. Tertium erat argumentũ, quòd ſint homicidæ. Fateor, ſi homicidij conuincũtur, *Exod.22.* interficiendas iuxta legem Moſaicam & ius commune. Atqui agnoſcis, Striges exhibere res innoxias: ergo quum illæ ne hilum prorſus noceant, multò minus periment: non igitur criminis reæ ſunt. Proinde nec hac ratione de ijs ſupplicium capitis ſumi debet. Si dixeris, in eis necandi eſſe animum & uoluntatem, quamuis non reſpondeat ſucceſſus: etſi hic reſponſum abundè putarim in fine proximi capitis, tamen hoc præterea tibi obijciam, uoluntatis delictum à Deo puniri, nõ, niſi in actum cœperit dirigi, à magiſtratu, cui exteriora ſaltem commiſſa ſunt: alioquin quotidie eorum aliquot myriades ad carnificinam traherentur, qui aliorum necem deſiderarunt & uoluerunt.

Quarta obiectio. Quartum argumentum, quòd ſpurcam libidinem cum immundis ſpiritibus exerceant, plerunq; & ſub forma canis aut hirci aliaúe ſpecie. Quanquam hoc copioſè ſuprà cap.13. confutarim, appendicis tamen loco adhuc ſubiungere uolui; in hoc me non tam uanam illarum confeſsionem mirari, quàm ſtultam aduerſariorum credulitatem. Quum enim libido coitionis cauſſam habeat laſciuiam, non poteſt ea eſſe in eiuſmodi exuccis, exanguibus & ſtupidis uetulis. deinde mẽbrum diaboli ſemper fertur frigidum, ex quo nulla accedit uoluptas, quum hinc multò ſuauius libidinari queant cum proprijs maritis. Denuò concludo, hunc carnalem congreſſum eſſe phantaſticum, ex inani ſathanæ profectum impreſsione. Dæmones ſiquidẽ poſſunt ſua ſubtiliſsima eſſentia humores ſpiritusq; mouere, & per eos uarias formas in organa excitare, perinde ac ſi extrinſecus occurrerẽt nõ ſolùm dormientibus, ſed etiam uigilantibus, ut extrinſecus & eſſe & fieri credamus, quæ tamen nec ſunt nec fiunt. Ita dæmonum illuſionibus ſeductæ quædam mulieres crediderũt ſe cum Diana noctu equitaſſe. Et ut à ſimili procedam, ſcio aliquos optimè ratiocinantes, & omnibus ſenſibus integrè ſine læſione utentes, ut ne ſuſpiciũcula eſſe poſsit melancholiæ, qui tamen non poterunt cum uxoribus aut alijs coire, eò quòd uirgam uirilem amiſiſſe ſe putarent excantatione magica, quam meretrix, cum qua prius conuerſabantur, ſtruxiſſet. Iam ipſe conceſſeris mẽbrum non ablatum, quum poſtea reſtituatur. Interim mille iuramentis adſeuerabunt rẽ aliter ſe non habere, quicquid contrà dixeris. Proinde ſi hominis fortiſsimi imaginatio poteſt imbui tam uana perſuaſione, quare ab hoc ambitu ſenticoſi labyrinthi ſegregas miſerrimas Lamias? Enimuerò ſi quod minus uidetur eſſe, eſt: erit & illud quod magis. Et ut clarius tibi conſtet, quantum libidinis impreſsio ualeat, audias locum ex incerti autoris Epiſtola de incantatione & adiuratione: Memini, inquit, quendam nobiliſſimum uirum iuraſſe, ſe eſſe ligatũ ne cum mulieribus coiret, quem adiuuare uolui impugnando ipſius perſuaſionem uarijs argumentis: ſed quum nihil proficere poſſem, approbare cœpi hominis ſententiam, & eandem confirmare, producto Cleopatræ libro de fœminarum ſpecioſitate: ex quo quũ legerem, ligatum, *ſi coruinum acciperet mixtum cum ſeſamelæo, & corpus totum eo ungeretur, iri curatum*: ipſe

hoc audito, confiſus libri uerbis, exequebatur conſilium, & reſtituebatur cupiditati coeundi. Remedium tantæ potentiæ non erat: ſed quia imaginatio erat occupata in falſa cauſſa, neceſſe etiam erat ut tolleretur eo remedio, in quo acquieſceret imaginatio. Quapropter & iſtam ſuperſtitioſę credulitatis nebulam à ſui iudicij oculis detergant aduerſarij.

Quòd porrò uelut inexpugnabile munimentũ opponatur, eum qui cum
22. iumento concumbit, morte ex Moſis decreto mulctari: ideoq; infinitis partibus truculentiorem mortis pœnam mereri, qui dæmonis ſpurcitiem uneream pateretur: hoc profectò tibi non negabo, ubi eam libidinem reuera expleri poſſe, hinc & perfici oſtenderis. At quum ſatis ſuperq; demonſtratum ſit cap. 13. hic & alibi, congreſſum hunc non niſi merè eſſe imaginarium, aliam autem cum bruto coitionem, indubitanter peragi ſciamus, explodẽda hoc loco ea oppoſitio.

ppo Quintũ ſuccedit argumentũ, quòd ſeducant alios Lamiæ. Quum phantaſia ſint deluſæ, quomodo alios ſeducere queunt? niſi phantaſmata ſibi falſò à dæmone impreſſa pro ueris actionibus, tanquam res geſtas narrare, appelles ſeducere: quod etiam ſi fit, eſſe quàm rariſsimum, nemo dubitet: ſecus licet fateantur, quemadmodum & multa alia quæ ſolùm per ſomnia ipſis apparuere, & tamen pro ueris defendunt. Quotquot uerò hoc faſcino diuexatę ſunt, nullum uniuerſæ huius deluſionis agnoſcunt alium magiſtrũ quàm dęmonem, ſuis illas technis deludentem. Quantum adhęc uirium in ſeducendo illis ſit tribuendum, atteſtantur & iners ſexus & ſtupida ætas. Si etiam apud illas quæ ſeducere & ſeduci dicuntur, diligenti attendatur animaduerſione eorum quæ in hanc rem fatentur, tam inſulſa intelliges, uaria, nec cohærentia, ut utraſq; in ea inſtitutione fuiſſe deliras, nec mentis compotes, & à dæmone agitatas obſeſſaſq;, imò ipſum ſatanam in eiſdem loquutum, facilè agnoſcas, ſi ueritatis æquilibrium ſpectes ſolum, ſepoſitis affectibus, peruerſæ opinionis iamdudum imbibitæ præiudicio obfirmatis. At Lamias in fœderis contractu diabolo pollicitas eſſe, quòd in hanc ſocietatem alias quoque traducere ſatagent, dices. Nimis certè multis diuerſiſque ſuprà docui teſtimonijs, pactionem illam eſſe phantaſticam, & uaria ſimul in ea agitari tum de uetularum uolatu, tum de coitione dæmoniaca, tum de pręcipiti hominis metamorphoſi, tum de reliquis ad nauſeam non repetendis, quę ipſe uelis nolis, falſa & imaginaria eſſe fateberis.

Sexta obiectio.

Huc ſexta ſimul & poſtrema pertinet obiectio, quòd mõſtroſas uetitaſque ediſcant artes. Hic mihi eaſdẽ explicari uelim: nullas ſiquidem norunt, nec eas decrepita ætas patitur nimis obtuſæ mentis: unde & à ſatana citius deluſæ, quibuſdã apparitionibus, umbris, præſtigijs, & inanibus imaginationibus fiſæ, uelut bis pueri ſenes, quæcunq; ludibria pro ueris amplectũtur. Eo autem pertinacius hoc urgetur argumentum, ut cautius noſtræ Striges poſſent comprehendi damnariq; decreto promulgato, l. multi. C. de maleficis & mathematicis: Multi magicis artibus uſi elemẽta turbare, uitam inſontium labefactare, non dubitant, & * manibus accitis audent uentilare, ut quiſque ſuos conficiat malis artibus inimicos: hos (quoniam naturæ peregrini ſunt) feralis peſtis abſumat. Lamias autem noſtras, ut indoctas, uetulas & deliras, artes exercere nullas, nec ulla ratione elementa mouere aut uitiare poſſe, uti nec ul-

** aliàs manes accitos*

lus

lus poteſt mortalium: item neq; omnino dæmones cogere, ut alijs noceant, poſſe, ſatis ſuperq; demonſtratum eſt. Quocirca eas decretum hoc minimè concernit. Si quæ ſunt, quæ uitæ hominum inſidiantur, eiq́ue uim faciunt, ueneno id fieri oportet: proinde etiam ueneficæ tales dicuntur & ſunt: hæ ex hoc edicto puniàntur, quas non ſuſcepi patrocinandas. Adhæc quemadmodum noſtræ Striges nec longiori peregrinatione, labore aut ſtudio, corruptæ mentis doctrinam cũ Magis ſceleratis conquirunt: ita nec ullos habent libros, quorũ adminiculo in ſua profeſsione inſtituantur promoueanturq́;: nullas etiã præſcriptas coniurationũ formulas, quas ſequuntur: nullum præterea annulo incarceratũ, aut cryſtalli ſoliditate obſeptum dęmonẽ in ſuũ miniſteriũ, uelut pleriq; Magi, circumferũt: corruptam multiplicibus imaginibus ab immundo ſpiritu ingeſtis, phantaſiã ſolummodò doctorẽ uenerantur & colunt, cui utplurimũ propenſius confiſæ, miſerè decipiuntur & in perniciẽ ruunt. Nec quidem præter uulgarẽ morẽ quicquam peculiare ob indolis craſsitiẽ & ſpirituũ inhabilitatẽ ualent: ſecus aũt diabolus poteſt ob tenuitatẽ, ſubtilitatẽ, celeritatẽ, & lon- *Suprà cap. 3.* gum rerũ uſum. Non eſt itaq; quòd ullarũ peculiariũ artiũ prodigioſarũ & inhibitarũ inſimulentur noſtræ inſenſatæ anus. Atqui curioſas magicasq́; exercuere artes, magi fuerunt prophani, qui & libros habebant flammis poſtea traditos iurè, ex Pauli doctrina, ca. 19. Act. Quoſcunq; huius factionis homines condemnat Moſes, & lex Imperatoria.

Epilogus cũ admonitione. Hinc tandẽ ex animo omnes cuiuſcunq; ſtatus, qui in prędictis erroribus adhuc conquieſcũt, iniquis incendijs animã aggrauantes, manusq́; innocẽti defœdantes ſanguine, præmonitos uolo, ut præiudicio inueteratæ opinionis ſemoto reſipiſcãt adhuc: ad quã uocẽ ſi eorũ ut nimis præfractorũ occalluerint aures, in tam inextricabilẽ diaboli labyrinthũ eos inuolutũ iri præſagio, unde nullũ poterit educere Theſei filũ, ſed ſolius miſerentis Dei filius: tam frequẽtes carnificinas architectabitur accumulabitq́; Dei & hominum hoſtis ut iuratiſsimus, ita & ſanguinis innoxij cædiũq́; impiarum ſitientiſsimus Beelzebub. Nec dubito, quin oculis palàm hæc proponet ſiniſter euentus, quod pro ineffabili ſua bonitate clemẽter auertere dignetur miſericordiſsimus Deus. Falſus enim malo audiri uates: ſed me ueſtigia terrent. Exempla nòui cõplura. Quid iam alij cũ magno ſuo malo & reipublicę detrimẽto experiuntur, ipſi certiores erũt teſtes. Telã contexere longã & inexplicabilẽ in hominũ ruinã exitiũq́;, mille artifici nõ erit difficilẽ, potiſsimùm apud quos ex uoto ſuccedere inſtitutũ uidet: ubi nimirũ ob peculiare ſuum ex Dei aſſenſu factũ, in uitã inſontẽ porrò ſæuiri animaduertit, tũ neruũ cõſequutus, alia ſimilia, uel etiã tetriora molitur, qb. in ſua naſſa arctius conſtringit, atq; ex Charybdi in Scyllã propellit, quos ſuis ſtrophis pnas offerre aures cõperit. Hic ſanè cõniuet ſępenumero Deus meritò, ob inuictã eorũ credulitatẽ, qui, licet aliter ſacrarũ literarũ lectione, maximè ex Iobo inſtituti, nõ tã Dei iuſti manum uel probantẽ uel caſtigantẽ agnoſcũt in ualetudine afflicta, in ſegetũ, uinearũ & pecorũ perditione, quàm ſingularẽ eius miſericordis benedictionẽ & gratiã in proſpera ualetudine, felicitate & annonæ affluentia amplectũtur. At ipſam uniuerſæ huius controuerſię ueritatẽ patefaciet extremè iuſtiſsimũ Chriſti tribunal, cuius infallibili cẽſuræ, quicquid à me hic dictum eſt, libenter ſubmitto.

DE COMMENTITIIS IEIVNIIS.

AB hoc impoſturarum dęmoniacarum, quibus & humanæ ſuffragantur, argumento non erit aliena fraudulenti cuiuſdã ieiunij longioris explicatio. Quum anno ſeptuageſimotertio ſupra milleſimum quingenteſimum, illuſtriſsimã, & tam ob animi quàm corporis dotes nunquàm ſatis laudatam, Mariam Leonoram, Clemẽtiſsimi potentiſsimiq́; noſtri principis Gulielmi, ducis Iuliæ, Cliuiæ & Montium, &c. ſeniorem filiam per uarias prouincias in Boruſsiam, eiuſdem duci Alberto Friderico iuniori, comitatu equeſtris nobilitatis admodum inſigni, coniugem deduceremus, de miraculis rerum diuerſis frequens in tam longinquo itinere apud doctos fuit agitatus ſermo. Clariſsimi etenim, & doctrina ac pietate ornatiſſimi uiri ſe nobis cum beneuola hoſpitij oblatione, ex pij eruditiq́; alicuius colloquij occaſione non rarò obtulere: cumprimis uerò inter reliqua Boruſsiæ ornamenta minimè uulgaria Doctor Matthias Stoius, Regiomonti ducis illuſtriſsimi medicus digniſsimus: Stetini D. Iacobus Schadius Clementiſs. Pomeraniæ ducibus à medicina, uir profectò cui ſingularis eruditionis teſtimonio, & artis noſtræ uſu eximio, uix parem alat Pomerania. ad hunc numerum referendi quoq; D. Seuerinus Gebelius Dantiſcanus Medicus, Elbingę D. Bartholomęus Calckreuter: identidem Frãcofurti ad Oderam inſignis uir D. Caſparus Hoffmannus, Clementiſs. Marchoniſſæ medicus, D. Ioannes Knoblochius medicinæ Profeſſor, D. Vuolffgangus Iuſtus medicus & mathematicus: Roſtochij, D. Leuinus Battus, Henricus Bruſeus, Petrus Memmius excellentiſsimi medici, Lucas Bacmeiſterus Theologiæ Doctor & uniuerſitatis Rector, Ioannes Borcholt LL. Doctor & Syndicus, Nathan Cytræus poëta minimè uulgaris: Vuiſmariæ Ioãnes Periſterus Theologiæ Doctor, Superintendens: alijs item locis cũ uiris doctiſsimis ſua laude non fraudandis, grauiſsimæ fuerũt inquam habitæ quæſtiones. Inter reliqua uerò de quibus unquam ſtrenuè fuit diſceptatum, argumentum ſuppeditauit multifariam admirabilis illa hiſtoria de quadam puella Vnnenſi, quę circiter annum abſq; ullo cibi aut potus uſu uitam protraxiſſe, & in ea abſtinentia cõtinuò adhuc perdurare incolumis, aſſerebatur. Licet autem narrationi fidem non darem, de ea tamen comperi ueriſsimum quod ille ait:

Fama malum, quo non aliud uelocius ullum, *4. Aeneid.*
Mobilitate uiget, uireſq́; acquirit eundo.

quò ſiquidem diutius in itinere perſeuerarẽ, eò uerſibus Latino & Germanico idiomate euulgatis, oratione itẽ ſoluta in cõcilijs, ſympoſijs, colloquijs familiaribus, in principum quoq; aulis res miraculorũ lenocinijs ornatior ſanctiorq́; reddebatur. Proinde ut natura in ueritatis abſtruſæ ſacroſanctis myſterijs ſolerter inueſtigandis paulò ſum religioſior, admirabiliũ euentuũ narrationi, ſi lateat ratio, non temerè cõfiſus, Vnnam in Comitatu Marchię, quę noſtri Principis imperio ſubiacet, contendo, quid rei eſſet, coràm exploraturus, die 18 Decẽbris. Puellam acceſſo, Barbarã nomine, decẽ annos natã, ex patre Hermanno Kremers & Anna matre, quę iam ad tertias cũ Euerhardo Leidecher tranſierat nuptias. Miraculi *Barbara fabula actrix.*

culi

culi hęc ſummā exponit: filiā nimirum ſecundo Februarij, morbo correptam haud uulgari: eodēq; à 25 Martij ad 12 Maij perdurante, illā pauxillo uini, cereuiſiæ & lactis protraxiſſe uitā: inde ex lethali decubitu redditā mutā uſq; ad 24 Octobris, quo loqui rurſus cœpiſſet, conſtāte ſemper mente: interea tamen ne uel momentū cibi aut potus aſſumpſiſſe, nec aluū, nec ueſicā quicquam toto hoc tempore uſq; ad illū diem excreuiſſe. Prædicat & filiæ pietatem eximiam: & quanto ſtudio à nobilibus, conſulibus, atq; alijs minimè obſcuris hominibus in eam fuiſſet obſeruatum, num quid ſubeſſet fraudis, explicat: & re ipſa compertū, fuci nihil latere. Puellā inde ſcipionibus ſubalaribus, quorū adminiculo ad greſſum fulciebatur, innixā contueor, facie uenuſta, colore uiuido, genis roſeo rubore decoris, manibus pedibusq; quinimò & corpore toto bene habitam & agilem, ſed uentre collapſo, ut mater ſpinę dorſi umbilicum tanquam adnatum, eſſe affixum affirmaret: at eundē ubi contrectare tentarē, fletu petulanti meas illa effugit manus. Nihil tot menſibus cibi aut potus aſſumptū ab ea, nihil itē per aluū aut ueſicā redditū, ſanctiſsimè aſſerit mater. Pulſum arteriæ animaduerto exilem in carpo, ut in ea ætate ſolet. De reliquis inquirenti, nihil deſiderari in ſomno, ſputū cōſueto more eijci, mucum ex deſtillatione nares excernere, aliquādo & leuē è corpore expirare ſudorē, reſpondit mater: cuius aſſertioni quū ab alijs fidei nimiū tribueretur, huc ob rei inauditę admirabilitatē, uelut ad Dianam Epheſianā, religionis ergò, concurrebatur, cui nec infructuoſa oblationis pecuniariæ uſura accedebat. Siſtebatur tunc tēporis quoq; Principi noſtro Clementiſsimo, Conſiliarijs eiuſdē & Nobilitati. Sūmus illi delatus honos à Comitibus, generoſisq; matronis: Cōſulibus itē ac magiſtratu Vnnenſi, qui & teſtimoniū publicis codicillis puellæ perhibebāt de ipſiſsima ueritate, nihil ſcilicet doli latere: quod ex induſtria adeoq; oculata obſeruatione nouē dierū, quibus in ipſorū ædibus ſedulò fuiſſet cuſtodita, idq; aliquoties à diuerſis fuiſſe factū, ſe teſtari confirmabant.

Ego contrà uarijs iuſtisq; de cauſis motus, merā eſſe impoſturā, ingenuè palàm ac ſeorſum teſtatus ſum, reclamantibus profectò uiris magnificis & eruditis, quos phantaſiarū mōſtra mihi exprobrare nō pudebat. Fidē porrò ex rationū archiuis mihi hęc faciebāt, quòd quum ante aliquot menſes ex morbo nōnihil fuiſſet conſumpta, inde conualeſcens, corpulentior habitiorq; indies eſſet reddita: quod omnino fieri nequiuit citra alimenti aſſumptionē, in ea potiſsimùm ætate, in qua nō modò ob caloris magnitudinē, & perpetuum per inſenſilē tranſpirationē effluuiū, ſed & perditi reſtaurationē, uictus requirebatur liberalior. Nā qui creſcunt, inquit noſter Hippocrates, plurimū habēt calidi innati: plurimo itaq; egēt alimēto, alioqui corpus abſumitur. Voracior ſiquidē calor natiuā exhaurit perditq; humiditatē, niſi addito familiari effrenis coerceatur. Propterea omnium minimè ieiunium ferunt pueri. Enimuerò pro caloris ratione alimentorū proportio & menſura, uel nullo alio quàm natura docēte, conſtituitur. Nec eſt quòd ad craſsi, tenacis glutinoſiq; humoris in ea ætate collecti cōcretiq; aſylū, hic quis confugiat: is ferè nō in alio quàm ſenili & frigido coaceruatur corpore: quē etiamſi in tenella puella pręter naturæ ordinē nōnihil accreuiſſe donē, ea cauſa ieiunium quidem aliquandiu innoxiè ſuſtinere potuiſſet, ſqualidā tamen & ob longitudinē ægritudinis macilentam

permanere oportuit: nō aūt cū deperditę per uniuerſum corpus carnis reparatione & incremēto, collapſarūq; uiriū reſtitutione, multo certè minus cū ſingularū totius corporis partiū iuſta auctione cūctis cōſpicua, incolumiorē apparere. Adhæc, quomodo excremēta reddi naribus poſſent, ſputū proijci, aut ſudor excerni, ubi nulla materia nullusúe fomes? unde itē ſomnus ſuo tenore naturali citra accedentē cerebri humectationem ſubſequetur?

Prȩterea ubi quȩ diuinitùs extra naturȩ functionē in ieiunio diutino facta cōmemorātur, ad trutinā pēſiculatius uocarem (quæ cōmunis eſt obiectio, quādo aliò elabēdi uia præcluditur,) nunquā in ullis hominibus longioris interualli abſtinentiā obſeruare licuit, quàm in certis, inſignibus, & ſpiritus diuini lumine illuſtratis perſonis, imò & ſelectis Dei organis, per quæ ſuȩ uoluntatis myſteriū, inexplicabilis potentiæ immēſitatē, quinimò ſeipſum atq; adeò maieſtatē ſuā incōprehenſibilē, incredulis, immorigeris & duræ ceruicis hominibus aperire, oſtēdere & indubitāter teſtari uoluit. Obuius hic inprimis Elias ille Thesbites, diuinus uates, qui ab angelo cibatus cōfirmatuſque, quadraginta noctes & dies perfecit ieiunus in itinere ad Dei montem, Oreb ſcilicet nuncupatū. Moſes Dei ſcriba & legatus, ſpectabili maieſtate Dei fretus in mōte Sinai, dū tabulȩ legis diuinæ conſcribūtur duæ, quadraginta itidē dies & noctes ab omni uictus uſu perdurat. Tentādus etiā in carne à ſatana Chriſtus, totidem dies noctesq; ubi ieiunaſſet, eſurijt. Hæc non uulgò aut cōmuniter uſurpata ſunt exēpla, inter quȩ ne quidē mentionem meretur inſolēs hæc puella, nō Tobiæ angelo ducta, ſed mēdaci ſpiritu agitata. De tot dierū abſtinētia uiri pij hiſtoriā poſtea adiūgere uiſum eſt, ne Lectori hic tædium pariat, lōgius interrupta cōmentitij huius ieiunij explicatio. Ciues adhæc Iabes in Gilead ieiunauerūt ſeptē diebus. *1.Reg.31.* Habet etiā ob ieiuniū ſuā laudis notam in Scriptura diua Iudith. *Iudith ca.8.* Iudęi tres dies ieiunāt hortatu Iudę. *2.Macha.13.* Paulus reſipiſcēs, tribus diebus nec comedit, nec bibit, & accepto pòſt cibo corroboratus eſt. *Act.9.* Cornelius centurio, religioſus ac timēs Deū, dies quatuor ieiuniū tulit. *Act.10.* Ioānes baptiſta in deſerto prędicās, ueſtitus pilis camelorū, & zona pellicea circa lūbos ſuos, ueſcebatur locuſtis & melle ſylueſtri. *Matth.3. Marc.1.*

Si qui alij in hiſtorijs ob ieiunij opinionē celebrētur, horū nōnullos certis quibuſdā diebus, at nō continuò ieiunaſſe, pleroſq; parco cibo uictitaſſe legitur: tales fuere Antonius Ægyptius abbas, Seuerus abbas natione Syrus, D. Hieronymus, & aliquot alij uiri pij ac eremitȩ cōtinentiſsimi, tū alibi, tum in remotiſsimo Ægypti deſerto commorantes: item ſanctæ aliquot uirgines, uelut Euphraxia, Paula, Cecilia, atq; aliæ ſimilis continentiȩ uirgines. *Marul. li.4. cap.22. Rauiſius. Volater. li.21. Hieron. ad Euſtoch.* Sic etiam illum eremitā, fratrem Nicolaum Vnderualdenſem Heluetium, ex radicum eſu aliquot uixiſſe annos quidam fatentur: *Nicolaus eremita Vnderualdenſis.* tametſi ſint qui religioſius de eo ſentiētes, ſecus uelint, at mea quidē ſentētia, temerè: quod non obſcurè intelliget, qui ad lucis aciē ſingula quȩ in ipſius uita deſcribūtur, oculatius expēderit: ſua laude interim ob nō uulgarē pietatē & incōparabilē cōtinentiā ſanctus ille uir digniſsimus & perpetuò celebrandus. Alios inſup hic claros reddidit ieiunij ſimulatio: tales etiā abſoluta hac noſtra narratiōe ſubiungā, ut rerū ſimilitudine docti mortales, nō tā faciles propoſitis eiuſmodi exemplis aures poſthac offerant.

Si quid hic calor natiuus, humidi ſubſtātifici cōſeruatio, tenacis humoris copia, pororum dēſitas ualēt, uti profectò

ualere

ualere diffitebitur nemo: pręcidi tamē lōgiꝰ tēporis ieiunij filū oportet: alioqui ſanè ſubtrahitur hiſtoriæ fidei fulcimentū, etiāſi uiri inueniātur nō indocti, qui aliter demōſtrare ex dictis cauſis cōtendāt, fortaſsis etiā ſeducti ſcriptorū uariorū authoritatis pręiudicio, qui etiā falſis narrationibus uel fraudulētis lōgioribus ieiunijs falli potuere. Dictis uel ſcriptis extra rationis limites non perpetuò fidendum exiſtimarim: fidei noſtræ Chriſtianæ myſterium hic exceptum uolo.

Calor vitalis. Humidum ſubſtantificum.

Vita extra omnē cōtrouerſiā calore unico cōſiſtit, quem alit ſuſtinetq; tenax, pinguis, oleoſus & aëreus humor, qui in partiū ſimilariū ſubſtantiā diffuſus, omnē effugit oculorū aciē. In horū duorū cōſenſu, calidi nimirū & humidi, uita perdurat: illud cunctarū actionū opifex habetur, hoc illi ſubſternitur, ut durabilius permaneat. Quādiu ergo uitalē calorē fouere poteſt iucunda ea humiditas natiua, tādiu in uiuis permanet animal: quæ ſi multa, craſsior, & diſsipationi cōtumacior fuerit, tardius à calore uitali, qui ea inuolutus, paulatim portiūculas diſperdit cōſumitq;, abſorbetur. Cæterùm quū animantiū moles ea ratione ſemper diffluat & minuatur, niſi altera ſimilis ſubſtantia pro ea quæ perijt, ſubſtituatur, ſenſim profectò exhalabit atq; diſsipabitur uniuerſa. At in abſumpti humidi huius natiui, ex ſemine & primis noſtræ generationis initijs orti, locū qđ reponas, inueneris nihil. Deficiēte itaque pabulo ſubſtātifico (ut dicūt) uitalis caloris, hūc extingui neceſſe eſt, & exitiū ſubſequi pręceps. Huic porrò ut obuiā eatur, alimentorū neceſſariò accerſetur opera, ut nimirū gratæ cuiuſdā humiditatis acceſsione, ea quę natiua eſt, irroretur, ſicq; cōſtantius ſui caloris uoracitati obſiſtere queat: qui licet de humore primigenio ſemp aliqđ depaſcat, attamen minus, ubi acceſſorij alimēti ſuppetit copia: quo prorſus ſublato, caloris natiui qualitas redditur acrior, humorē natiuū citius abſumēs, potiſsimū ubi corpus mouetur exerceturq;: quocirca abſq; alimēti acceſsione corpus humanū tēpore lōgo cōſiſtere nequit. Hic certè alia erit hominis rationalis ad actiones qualeſcūq; nati, nec ſuperfluo uictu ſaburrati cōſideratio: alia exanguis alicuius torpidæ & irrationalis beſtiolæ, ſcintilla caloris afflatæ, & multo frigido glutinoſoq; humore perfuſę inſpectio. Huiuſmodi chamęleon eſt, qui à me aliàs irritatus uariè, admota etiam ardente cādela ipſius oculis & roſtro, uix quicquam dimouebatur uiuus. Vt quidem in frigido corpore tantam humoris craſsi & tenacis abundantiā nonnunquam coaceruari, quem non niſi longiori tempore deuoret calor inſitus, dono: non tamen conſtitutione tali mortalium corpora quis mihi facilè oſtendet, quę multorū annorū ieiunia ſuſtinuere, qualia ab authoribus prędicantur nōnulla, quos potius aliorū relatu, quàm [illegible]ulata ueritatis animaduerſione, illa tradidiſſe, dubitare nolo.

Interea tamen nec Hippocrati hic ſubſcribendum ſentio, qui hebdomada homini letalem inediam præſcribit: niſi fortè ad excuſationem illius adducatur diuerſa Gręcorum à noſtratibus conſtitutio. Atqui Plinius non utique ſeptimo letalem eſſe ſcribit, quum & ultra diem undecimum pleriq; durauerint. Ego profectò (quod citra ullam fateor iactantiam) illæsè dies quatuor ab omni cibo & potu ſanus uixi: at frequentius lotiū reddere oportuit, quod inedia redditur acrius. Potuiſſem & longius ferre ieiunium, niſi quid grauius mihi ex continuis uigilijs fuiſſem ueritus. Frater meus Arnoldus ad octiduum pertulit

innoxiè, ſumpta exigua carnis cidonio rū buccella. Familiaria eiuſmodi exēpla poſſem adducere plura. Talis profectò abſtinentia inordinatorū affectuum coercendorū efficax frenū, ſubminiſtrās & peculiarē ardentioribus precibus uirtutē.
3. Hoc modo Sara Raguelis filia,
3. Heſther item alloquutura regē Aſſuerū, cum ancillis & Iudæis, tribus diebus & noctibus nec manducarunt nec biberunt: quemadmodum &
3. Niniuitæ, intellectò à Iona ſui exitij nuncio, ad preces continuo ieiunio confugiunt reſipiſcuntq;.

Vt porrò illud impoſturarum genus omnium oculis clarius appareat, hiſtoriam cœptam proſequar, fictitia inde ieiunia aliquot enarraturus. Vſuræ ergo amplioris faciendæ, uti opinor, gratia, in Aprili proximo, uitricus & mater unà cum ſua Barbara atq; eius ſorore Elſa duobus annis ætate maiori, acceptis à Magiſtratu Vnnēſi literis in eundem uſum ad illuſtriſsimum noſtrum Principem commendatitijs, ex Marcæ Comitatu Cliuiam uerſus iter ingrediuntur, ubi tunc temporis cum aula Princeps ſubſiſtebat: cui libellus ab illis ſupplex exhibebatur, quo facti teſtimonium, ipſius Clementię ſigillo communitū, nimirū puellam hanc toto anno & mēſe integro ab omni cibo & potu abſtinuiſſe, nec aluo excremēta depoſuiſſe, uti nec ueſicā ab urina leuaſſe, ſuppliciter rogabatur. Interim ſolito honore excepta, mira celebratur obſeruantia à cūctis tam ſpectatæ nobilitatis, eruditionis ac prudētiæ hominibus, quàm etiā obſcuro plebeioq; loco natis. In itinere quilibet rei nouitate illectus accurrebat, munerib. quoq; nō illiberaliter oblatis, datis acceptiſque. Iā ſanè hoc loco ab hominū oculis faſcinum abſtergi uoluit ille unicus omnis ueritatis author benigniſsimus Deus noſter, qui ad certū tēpus quandoq; ad eiuſmodi pręſtigias conniuet ob noſtrā incredulitatē, uel ut nos puniat, caſtiget aut probet. Oblata mihi palàm cōmonſtrādę huius fraudis occaſione, quū familiā Cliuiæ alā, apud Clementiſsimū noſtrū Principē inſto ſuppliciter, ut illa meo examini aliquot dies in meis ædibus, ipſius Clemētiæ decreto cōmitteretur. Quid fit? Annuit Princeps. Accerſita denuò à me, amicè habetur contrectaturq;: crepūdia adhęc offero, ut eā mihi beneuolētia cōciliarē: dehinc moraturā apud me tres ſeptimanas ex Principis iuſſu, propono. Hic mira oratione modeſtiā, ſanctimoniā quietāq; indolē prædicat uitricus: ſuadetq; eā ſuæ libertati relinquendā, nec ullo modo turbandā: alioquî tā acerbis querelis, eiulatibus & lachrymis domū cōmoturā, ut lōgiſsimè ad aliquot etiā milliaria ſublatā optarē: ꝑpterea & Elſa ſoror ſenior ei ſemꝑ fuiſſet admiſſa ſocia, ſiquādo ad ueritatis inueſtigationē, Cōſulis Vnnenſis & quorundā aliorū fidei traderetur. Me ſuauiter & benignè acturū cum ea, nec opus fore ſororis præſentia aut ſocietate reſpōdi: quum uerò cōſtantius urgeret alter, eos ſimul cū Barbara poſtridie Vnnā remittēdos ſimulāter dixi, ne illā in aliquot dierū ieiunij tolerantiā prius ſaburrarent, quàm in meā fidē domi reciperetur. Elſam permitti comitē, diligētioriq; obſeruatione utrique attēdi iubet Princeps. Poſtridie ſimul omnes inopinatò ad meū domicilium reuoco, quaſi dimiſſurus: adeſt & Princeps: cōmōſtro faciē, manus & pedes: uentrē denudo, qui cōtractior apparuit. Dolū ſubeſſe incūctanter ex uenuſto faciei plenioris rubore, illuſtriſsimus etiā Princeps ſuſpicabatur. Meæ hinc fidei totū creditur negotiū. Parētes accepto à Principe uiatico, ꝓtenus Vnnā reuerti, & poſt tres ſeptimanas repetere filias uolui, Seriò rem actū iri

oculo-

oculatiusq; ſubuerita,meo quidem iudicio,mater,lachrymas profundit largas,abit tamen.

Ad primum progredior actum, inſtructis prius domeſticis, quo ad omnia conniuere,nihilq; in utraque puella obſeruare uiderentur: libertatem per uniuerſam domum ſusq; deq; uagandi & in hortū excurrendi permitto: nec diu moratus, conſcenſo equo ægrotum longius uiſito,redeoq; hora ueſpertina. In hac licentia hilares puellæ, optimè ſecū agi, cæcutire meos, & hunc fabulæ actum ſe pulchrè peracturas,quemadmodū aliquoties antea,in animū inducebāt. Interea quoquò ſe uerterent, & quicquid tractarent,à meis uelut aliud agentibus gnauiter & dextrè,ſimulatè tamen, aduertebatur. Prandiū ſumit Elſa cum meis familiaribus:eo finito,cōiunx mea altera Henrica, mulier pia ac mirè cordata,ſe inſomnē peregiſſe noctē,& ea propter ſibi in culina ſedēti dormiendum nōnihil eſſe ſimulat, uelata facie raræ texturæ tela, per quam contueri quicquid ageretur,poſſet. Quid multis? Barbara dormire uxorē rata,ingēs poculum cum generoſa cereuiſia fortè ibi repoſitum arripit,liberaliterque bibit. Repētè tela abiecta cōiunx eam intuetur ſilēs.ſic poculo Elſæ clàm tradito,Barbara abit pudore nōnihil ſuffuſa: id tamen ab uxore non fuiſſe uiſum,quòd nihil dixiſſet,confiſa. Non multo pòſt Elſæ pomum donat ancilla; cuius portionem illa Barbarę ſeorſum inſinuat,quā poſtea ab hac comedi occultè, ſpectarunt mei domeſtici: inde & ſtantē apud puteum urinæ tantum reddere obſeruauit famula, ut ſi quando aſsideret foco, lotij fœtorem expiraret ueſtis: nec longè pòſt in hortum expatiata, durum aluo depoſuiſſe excrementum, per feneſtrā à meis uiſum. Hic primi diei actus. Veſperi domū reuerſus, myſteriū ſanctimonię huius puellę reuelatum gaudeo, interim dextrè adhuc diſsimulandū ſuadēs. Callida etenim erat puella,& ob ficti ieiunij cōfidentiam audacula nimis, quam familiam meā inſimulare palàm mendacij,puduiſſet minimè.

Poſtero die à famulo per tabulati culinarij rimā,facto prandio, quid rerum Barbara ageret, animaduertitur. Ipſa circumquaq; conuerſo oculo, atque omnia eſſe ſecura arbitrata,in idē rurſus poculum manus conijcit, cereuiſiæq; potentioris hauſtus liberaliores ingurgitat.

Tertio die ſimiliter conſpecta, obicem penarij paulo altiorē ſcipione ad greſſum parato amouet,et panis ſecalini purioris comedit partē, inde & cereuiſiā denuò largius potat. Hinc & integrum panē magnitudine pugni in ampliores recōdit loculos,quos & inter femora ſub ueſte continuò abſtruſit. Sic à fame nōnihil recreata,ad ancillā prodit læta. at quū me inſcio,ancillæ rem aperuiſſet miniſter,illa confeſtim cōmutandos ſuos cum Barbaræ loculis proponit: qua tergiuerſante,manum inijcit uiolentā famula,panemq; è loculis extrahit. Pro ſorore illum conſeruari,mox fingit ipſa,cui uictus abundè ſemper fuerat ſuppeditatus. Hic eiulatus multus. Vxor detegit,quid ab ipſa,famulo,& ancilla tribus diebus fuiſſet oculis conſpectum: negat omnia. Quid facias? Accedens ego, ſilentium impero, Barbaramque bono animo eſſe iubeo, alia tum uia procedendū ratus. Penariū panariūq; omnino occludi, pocula ſemoueri, & omnem commeatui aditum reſcindi mando. Sic die ſequenti è lecto hora pomeridiana ſurgens, nihilq; alimoniæ dolo cōſequuta, facie uſqueadeò collapſa & lingua arida in hortum uenit,ut ægrotam eſſe dixiſſes. Hic dies,

qui poſtremus Aprilis, ieiunio illi ſacer erat.

Poſtridie cum mea cõiuge & famulo in noſtrum expatiaturus prædium, cõmiſeratione affectus, rurſus cereuiſiæ integræ cantharũ conſueto reponi loco iubeo, nec longè panẽ butyro illitum, coctos itẽ piſces relinqui: ad tabulati culinarij; cuius paulo antè memini, foramen nepote in inſidijs collocato. Cuncta iam fore libera exiſtimans Barbara (quòd famula hincinde domi, quæ ſui eſſent miniſterij, tractaret, hocq; ſtudij ſemper etiam Elſæ cumprimis incũberet, ut circumquaq; loca prius uiciniora occultioraque luſtraret, quàm geniũ nutrimẽto recreare tentaret ſoror,) poſitum panẽ tam butyro impinguatum quàm ſiccũ uorat cum piſciculo integro & maioris piſcis portione, ingens adhæc cereuiſiæ poculũ ter repetito tractu ferè exhaurit. Sic cuticula probè curata, ieiunium cõtinuò adhuc ſimulare pergit.

Quum rurſus eam ſequentibus potare diebus, per conſuetã ſpectaret rimã miniſter: Heu Barbara, tibi benedicat Deus, acclamat eueſtigiò. Deſcendentem inde famulum rogat, quid dixiſſet? Tibi bene precatus ſum inter bibendum, inquit. Me bibiſſe, mentiris, reſpondit illa. Tantæ erat impudẽtiæ & inſolentiæ, ut à mea familia toleraretur difficulter. Quicquid etenim alicubi multa inueſtigatione furtim conſequeretur eſui commodum, cuiuſmodi erant ſecundarum menſarũ & conuiuiorum ſolennium confectiones ex ſaccharo apparatæ, auellanę, artocrearum cruſtæ, idq; genus reliqua, ſeorſum abliguriebat.

Cum uxore igitur extremæ huius pertinaciæ & impudentiſsimi mendacij pertæſa ſtatuo, poſt tam frequentes conſpicuosq; fabulæ actus, ad cataſtrophen ſeriò progrediendũ. Quare clauſtris penum omnẽ ſumma induſtria ſecludi mando, ut ad ieiunij ueram obſeruationẽ nihil eſſet reliqui: oblata tamen comedendi bibendiq; libertate, ſi quãdo poſceret. Ab unius diei ieiunio, hora matutina, à coniuge mea audiũtur occultæ querelæ, diſceptationes & iurgia inter puellas. Barbara ſibi nihil à ſorore uictus ſuppeditari occultè, quẽadmodũ apud alios, quorum inquiſitioni antea itidem fuiſſet commiſſa, fidelem ſuam nauãſſet operam, expoſtulat: ſe cõtrà nimis curioſè obſeruari, queritur Elſa (quæ ob officium ſorori eiuſmodi cibatione occulta præſtitum Abacuc nobis nuncupabatur, quòd Danieli cibum aſportaſſet uates ille) *Daniel.14.* ſororẽ lachrymabunda orãs, ut uictu palàm frueretur, alioqui uitrico, matri, ipſisque periculum creatũ iri. Controuerſiã accedẽs uxor dirimit, exprobrato Barbaræ cõmento & impoſtura, ſingulos tam protaſios quàm epitaſios comœdiæ actus, & quicquid à ſe, famulo & ancilla uiſum fuiſſet aliquoties, explicitè demõſtrãs: inde ut ab huiuſmodi dolo, mendacijs & præſtigijs porrò ſe contineret, piè ac ſollicitè hortatur: alioqui Deum iuſtum tanti ſceleris fore ultorem minitata, & Principẽ natura certè clementiſsimum, de parẽtibus flagitij cõſcijs, atque adeò ipſis, dignũ meritò ſumpturum ſuppliciũ. docet, Barbaram hactenus à dæmone mẽdaciorum patre fuiſſe agitatam: cõmenticiũ illam finxiſſe angelũ, à quo ſępenumerò cõfirmaretur eſculo, ut aiebat: talẽ in mea domo nullum ſortiri locum, at longius exulare potius à mei domicilij limitibus: reſipiſcentiæ horã adeſſe, delictum ætati remiſſum iri, pro parentibus & ipſis apud optimũ Principem interceſſurum fide bona maritũ: ſi uerò præfractius in flagitio multis documentis cognito perduraret, Principẽ

&

& qui à conſilijs ſunt, citius nobis credituros, quorum cognitioni cauſa uniuerſa fuiſſet cõmiſſa, quàm dubiæ lubricæq; fidei puellis: ex guſtato ante biduum ceraſorũ condito, quòd tantopere ſe cruciari finxiſſet, hoc genus dæmonij haud dubiè profligaturum fuiſſe maritum, ſi adfuiſſet.

Hac admonitione finita, diſcedit coniunx. res interea in deliberationẽ uocatur à puellis: inde lac requirendũ ſumẽdumq; cõuenitur, quaſi ſolidiora uentriculus non toleraret. Offertur medius cantharus, duarũ uidelicet librarũ medicarũ quantitas, quẽ ſine noxa exhaurit: poſtridie integer cantharus intrito pane tritico abſumitur, uti & reliquis diebus, quibus & halecem & alia uorauit.

Hæc omnia licet à meis palàm ſuppeditarẽtur, ſeorſum tamen comedit: tã difficulter à furtiui uictus ſumptione ſolita abduci potuit, donec porrò cibum omnẽ ſubminiſtrari ſeriò uetarem, níſi quẽ in publica mẽſa cum reliqua familia palàm in cunctorũ cõſpectu ederet. Hic etſi nõnihil etiamnum tergiuerſaretur, & me abſente coram alijs comedere detrectaret: id quod hactenus in occulto fecerat, domũ reuerſus, publicè fieri uolo. Proinde cũ illa ſtrenuè ago præter morẽ: fucũ & impoſturã exprobro: me ex ædibus illam eiecturũ, nec apud illuſtriſsimum Principẽ pro delicto interceſſurum minitatus. Ad hanc cantilenã incunctanter menſam accedens, quibuſcunq; cibis unà cum meis familiaribus in omnium conſpectu ueſcebatur citra noxam, quẽadmodũ & reliquis quibus apud me adhuc morabatur, diebus. Elſa quoque uxori clàm fatebatur, ſe

rarentur, ſibi imputaretur: licet illa furtim abligurijſſet in alimentũ Barbara.

Quũ uerò hic dolus apud me detectus eſſet, qui ueritatis adyta aperire ſtudeo & neminẽ lędere, Clementiſs. Principi ſupplico, ne quid acerbius in Barbaram, Elſam & parẽtes ſtatueret, quòd illæ eſſent iuuenculę, quibus publica punitio, ſcortationis in poſterũ occaſionem, uel grauius perditionis damnum dare poſſet: uitricum adhęc excuſaſſent illæ, uti impoſturæ ignarum: erga matrẽ uerò, uelut fœminam, exornaret clementia principem. Tametſi autem ob ſceleris magnitudinẽ uariæ agitarentur ſententiæ, & quidẽ pœnã arbitrariã merita fuiſſet mater cũ filiabus: cõnatæ tamẽ ſuæ cõmiſerationis argumentũ hic quoq; oſtẽdit Clementiſsimus noſter Princeps, remiſſoque flagitio ſuis ſumptibus illas Vnnã relegari iuſsit, traditis ad magiſtratũ literis, quibus cum illo expoſtulat ſeriò, quòd tam ſtupidè ſibi à puella ſiuiſſent illudi: monetq;, ut in poſterum maiori prudentia cauerent, puellasq; curarẽt uigilantius in Dei timore inſtitui educarique: & quicquid de Barbaræ abſtinẽtia antea fuiſſet typis euulgatũ Latinè & Germanicè, cõquiſitum ſtudioſè collatũq;, palàm in foro combureretur. Hoc edicto munitæ iuuenculæ à meis auehuntur ædibus, 13 Maij, anno 1574. Hæc læta comœdiæ huius cataſtrophe.

Vnnam reuerſa Barbara, pelle & ingenio non prorſus mutato, cunctis perſuadet, ſe quidem antea ieiunium tam multis pertuliſſe menſibus, ſed à doctoris Vuieri efficacibus potionibus reſtitutam, ut iam per Dei gratiã appeteret comederetq;: ſe etiam ſ

Hic profectò prætermittendũ erat minimè, quòd à curatione Generoſi Comitis à Niuwenar, &c. Adolphi, eiuſdemq; pietatis eximię cõiugis Vualburgæ, domum reuerſus, ubi Barbarã lac petijſſe potaſſeq; intellexiſſem, in mandatis mihi ab illuſtriſsimo Principe datũ eſſe, puellis perſuadeo, ut dorſum Barbaræ conſueto meo inungerẽ linimẽto, quo in noſodochijs & alibi claudi mutiliq; illiti, ſuis mox abiectis ſuſtentaculis, liberè ſine ullo fulcimento abire ſolent. Ad hanc illinitionem annuit Barbara: itaq; poſtridie bis ſoror Elſa illã fecibus olei uulgaris, cui ob fragrantiam olei ſpicæ guttam admiſcueram, inungit: quæ poſtero die ſcipionibus neglectis proſilit, perq; ciuitatẽ hinc inde currit, quaſi à me reſtituta, & hoc nomine ſibi pulchra. Hoc modo uoluntarios claudos mutilosq; ſanari noui.

VIVA BARBARAE VNNENSIS
puellæ 12. annorum effigies.



Prius uerò quàm ſimilium impoſturarũ explicare catalogum pergam, memorabilem ueri ieiunij hiſtoriam, cuius antea memini, adiunctis breuiter quibuſdam alijs, interſerere uiſum fuit: ut exemplorũ analogia in hoc argumenti genere, quilibet mentis non omnino præfractæ, nec præiudicio ſcriptorum eſſaſcinatus, promptior in noſtram poſsit tranſire ſententiam.

Henricus ab Haſſelt, natus quidem Haſſeldæ, at in Norwegię oppido Berga degens, eximiæ pietatis uir, tũc inculpati cœlibatus, tam erga pauperes profuſus, ut quũ in diuendendis pannis ſuam exerceret mercaturã, multò libentius pannum integrũ aperuerit, ſecueritq; gratis, ut nudi pauperes ueſtirentur, quàm ut cum fœnore alijs diuenderet. Quum autẽ religio Roma-

na commutaretur, tranſiretq; in Saxonicam, & Norwegiæ incolas crapulæ nimium mácipatos cerneret hic Henricus, nec ſuæ functioni hic reſpondere eccleſiarum miniſtros intelligeret, à quibus in concionibus palàm audiebatur, ieiunio imitandum & Moſen & Heliam, uidelicet quadraginta dierũ abſtinentia: at Deum nunc tam diutini ieiunij tolerantiam in hominibus minimè operari. Hic ſe Henricus, uti omnis uitæ diſſolutioris, & potiſsimùm crapulæ iuratus hoſtis, concionatoribus quaſi Deo honorem derogantibus, & potentiam eiuſdem extenuantibus nimis, oppoſuit, reipſa teſtatum uolens, omnipotentiam eius nequaquam imminutam aut conciſam, ſed parem nunc & in æuum, quemadmodum ab initio, perdurare. In nomine itaq; Domini, ad eiuſdem gloriam, gratia ipſius fretus, ieiunium tentat: in quo ubi triduum perſtitiſſet, tantùm non fame opprimitur. quare panis triticei buccam & liquoris hauſtum ubi ſumpſiſſet, utroque in ipſo œſophago ſiue gula ſenſibiliter permanēte, dies inde quadraginta & totidem noctes abſq; ullius cibi & potus uſu perſeuerauit. Exacto autem hoc tēpore, illam panis & potus antea aſſumpti portionem crudam rurſus per os reiecit. Cæterùm ex tam diutina abſtinentia mirè fuerunt uires labefactatæ, ut lacte refocillari corpus oportuerit. Detecto hoc miraculo, ab illius prouinciæ gubernatore regio accitus, num tot dies

Henricus ab Haſſelt ieiunium 40. dierum.

proprijs tribuebat uiribus: ſed quicquid id eſſet, ſoli Deo acceptum ferebat, cuius ſolius hoc erat opus, potentia & honor. Ob hanc raram & pluſquam humanam abſtinentiam, atque etiam uitæ innocentiam, Numen Norwegicum à multis nũcupabatur. Nulli erat addictus ſectæ. Negociorum uerò ſuorum cauſa profectus Bruxellam in Brabantiam, ob hęreſios ſuſpicioné ex debitoris ſui accuſatione captus, in carcere denuò continenter uiuit ieiunatq;. Inde lata mortis ſententia, ut ſcilicet combureretur uiuus (cōfeſsione tamen populo, præter moré non prælecta) hic intrepidè ſine ulla faciei immutatione, ſupplicij locum petit: ubi catena alligatus palo, faſcibus circumcirca horribili aſpectu incenſis, putabatur circum palũ uelut in theatro ad extremum halitum diſcurſurus. Sed quid fit? In genua prouolutus, oculis in cœlũ leuatis, ferueter ſuas ad Deum fundit preces: hinc ſurgens, in ipſas progreditur forti animo ſine ullius tremoris indicio flammas, in eiſdemq; ſe demittit tam ſedatè, ut ab ipſo moueri membrum uel articulum, dum flammis crudeliſsimè deuoratur, uiderit nemo. Ex oſsibus reliquiæ inuentæ nullæ, & ſupplicij locus à multis religioſè habitus. Schorio Brabátiæ præſide id contigit circa annum milleſimum quadrageſimum quintũ. Ex ore digniſsimorum fide uirorũ, qui Henrico coniunctius uſi fuere, hæc refero.

Canonicus quidá Leodienſis haud c

affecta, ut hominum auerſaretur conſpectum, à matre cædebatur, quòd egredi recuſaret. Proinde ait: Me Deus percuſſit: ſi mater adhæc me uerberare pergat, quid tum factura ſum? Inſomnis diu permáſit, nec octodecim ſeptimanis aliud guſtauit quàm pauca poma toſta, ptiſanę uerò cremorem bibit. Siquis inopinatò accedens, ei loqueretur, nihil reſpondebat. Tanta erat macies, ut ceruicis ſpina pelle ſolū tecta conſpiceretur. Ex cōmiſeratione tandem diuina, animi trāquillitatem aſſequuta, paulatim conualuit, Deum timens & mirè modeſta, qualis adhuc iam permanet ſuperſtes.

Nec prætermittendum hic ſilentio, quendā in thoro coniugali apud uxorem ab Hungaro nobili deprehēſum, & in carcerem eapropter cōiectum, ut fame enecaretur. Quo autem pœnę citiorem reus conſequeretur finem, gallina toſta per oſtium ſubinde ad ipſius demittebatur nares, ut eiuſdem odore allectus, appetitu incitaretur maiori: re ipſa uerò rurſus deſtitutus, acerbiores daret pœnas, non ſecus ac

Tantalus à labris ſitientes appetit aquas:

atque eo cruciatu uelocius interiret. Hanc ſupplicij formā quum ſex perpeſſus fuiſſet dies, ſeptimo inquiſitione facta, deprehenſus fuit ſuperiorem brachiorū ſuorum portioné exediſſe.

Ad commentitia redeo ieiunia, quò referendam ſentio hiſtoriam de puella quadam nomine Margarita in uilla Roëd prope Spiram commorāte, circa annum 1542. ob ieiunium pluſquam biēnale celebri, eiuſdem ferè cum noſtra Barbara ætatis: quā prius omnem auerſatā cibum, poſtea & potum ſcribunt, nec tum urinā reddidiſſe. Quanquam uerò Regis Ferdinandi iuſſu circiter dies duodecim fuiſſet obſeruata: fucum tamē latuiſſe, teſtimonio mihi erunt, quæ ſequuntur documēta. Primùm, quòd circa ætatis annum decimum inchoarit abſtinentiam, atq; in decimumtertium continuò perſeueraſſe narretur, pro ea ætate tamen, ſtatura & habitudine iuſta, & pro ruſtica, uultu non illiberali, potiſsimùm poſt diutinum capitis & uentris dolorem, qui corpus & uires magis conſumere debuit, & remorari inde iuſtum ſtaturæ incrementum, & faciei uenuſtatem. Hæc profectò nequaquam cohærere, ſuprà ex Hippocrate demōſtraui. qui enim creſcunt, calidi innati habēt plurimum: plurimo igitur indigēt nutrimento, corpus alioqui conſumitur. Humidū ſiquidem natiuum ab edaci calore exhauritur perditurq;, niſi is eſt frenis coerceatur adiuncto familiari. Hinc omnium minimè ieiunium ſuſtinent eiuſcemodi ætatis pueri. Pro caloris etenim modo alimētorum proportio & quantitas, nullo alio quàm natura monſtrante, cōſtituitur. Secundò habet hiſtoria, è naribus & oculis copioſè (cum interdum fleret) humores profluxiſſe. quod omnino fieri nequit: ubi etenim nullum alimentum, nulla materia, ibi neceſſariò nulla conſequuntur excrementa, qualia habeo narium mucum & oculorum lachrymas. Eodem pertinet & tertium argumentum, quòd toto corpore ſcabie & puſtulis phlegmaticis laboraſſe ſcribatur. Et hoc malum excrementitium eſt, in quo corpus paulatim magis abſumitur: originemq; ducit ex pituita ſalſa, craſſa ac lēta, aut etiam bile atra, Galeno teſte. Quomodo autem eiuſmodi ſordes ex corpore expelli queunt continuò, ſi earūdem deſit fomes ex aſſumpto alimento? Quinimò ex Hippocratis noſtri ſententia, cōteſtāte & ipſa experientia, morbi quicunq; ulcera ſunt, & ſuper reliquum corpus eminent, eos ſimul cū medicamentis, etiam fame curare oportet: ſiquidem

Aphor. 4. lib. 1.

Aphor. 4. lib. 1. uide ſuprà.

Pueri difficulter ieiunium ferunt.

Lib. 1. de ſympt. cauſis, cap. 10.

De locis in homine.

7. Aph. 6.

fame a

ſames exiccat, ulcera auté exiccatione egent. Accedit quartò, quòd eam ſomnū cœpiſſe naturalem & quietum addatur. Nec hoc fieri potuiſſe, ut citra cerebri ex aſſumpto alimento irrorationem, talis conſequeretur ſomnus, mecum aſſerent cuncti naturalium rerum periti, qui ex benigno aliméti uapore ad caput delato, & à cerebri temperie condenſato, ſomnum gigni naturalem ſentiunt. Si itaq; oculatius illa fuiſſet obſeruata, aut in ipſam uigilantius inquiſitum, quin impoſtura fuiſſet manifeſtata, dubitare nolo. Nec deſunt, qui in ueſtimenti fimbrijs libū ad famem tollendā dextrè conſutum, fuiſſe uiſum, dicant.

Puella 12. annorum ieiunium.

Celebratur ſimiliter puella quædā annos nata duodecim, quę in Tullienſis territorij uilla Cōmerciaco, tempore Lotharij Imperatoris circa annum 822. poſt ſacram communionem in Paſchali ſolennitate à ſacerdote ſuſceptam, primùm per decem menſes à pane, deinde ab omni cibo & potu per triennium abſtinuiſſe narratur. Idem hic reſpōſum uolo, quod in proximis ieiunijs cōmentitijs: quemadmodum & ad illud non abſimile, quod Pogius Florentinus Romæ ſub Nicolao octauo pontifice in Gallo quodam ſacerdote accidiſſe refert.

Hoc argumentū, fraudulentæ abſtinentię exemplo, raraq; impoſtura memoratu digniſsima exornare uolui, ne tam facilè poſthac omni credatur ſpi-

autem generis animalia ſe querebatur alere ſuo ſanguine in uentre: cum tamen ſe nec comedere, nec bibere quicquam, ſed tantùm pharmacopolarum cōfectis & fructuum odoribus interdum recreari aſſereret. Ab ijs qui lecto adſtabant, auditæ ſunt multiplicium animantium uoces, gallorū cantus, gallinarum coccyzationes, anſerū ſtrepitus, latratus canum, ouium balatus, porcorum grunnitus, ac quod admirabilius eſt, boum mugitus hinnitusq; equorū, atq; animalium multorum homines magnitudine ſuperantium clamores: à quorū motionibus uexationibusq; intolerabilibus mirū in modum ſe torqueri, doléter referebat. Eduxit admirandę magnitudinis uermes atq; ſerpentes ex latere circiter cétum quinquaginta, ut miraculo fidem faceret. Rei igitur inauditæ rumor quum non modò per urbē & loca uicina, ſed etiam per totá ferè Germaniam increbuiſſet, ab exteris quoti die confluentib. ob prodigiū, & commiſeratione affectis tanta uirginis mole conſpecta, amplis frequétibusq; eſt ditata muneribus. Conſiliū à medicis & chirurgis quæſitum: ad eam quoq; Caroli quinti Imperatoris & Ferdinádi Rom. regis medici cum aliquot nobilibus acceſſere, qui tamen nihil deprehendere fuci potuere. Verùm ubi iam circiter quadrienniū huius tragœdiæ ſpectaculū duraſſet, ac dolores in-

ſi filia adhuc iuuencula enecaretur. ad quam etiam miſsi, qui admonerent, eam ſæpenumero medicorum deſideraſſe operam: hos nũc adeſſe, ut morbi inclementiam quibuſcunq; modis auſpicio diuino, aut tolleret, aut certè lenirent. Verùm illa à matre inſtituta, reſpondit, ſe morbum & crucem à Deo ſibi impoſitã, ex diuina gratia pari conſtantia citra ullam medicorum opem laturam, qua iam quadrienniũ fortiter pertuliſſet. Cæterùm magiſtratus, accepta patris reſponſione, Doctori medico & tribus chirurgis cũ obſtetrice, ut puellæ uentrẽ ſectione tentent examinentq;, ſeriò mandat. Quare hi dicto obſequuti, cubiculumq; ingreſsi, puellæ tumidę faſcijsq; linteis ligatæ, ac clamãti, detraxere tegmina: ferroq; adhibito, uentrem miro artificio fabricatum cum uarijs arcubus, quibus uentris rotunditas cõſeruabatur, & puluinaribus ac reliqua leui materia ſuffultum deprehenderunt. Hoc per obſtetricẽ detracto, apparuit puella omnino nuda, corpore optimè cõpacto, & ſupra modum formoſo. Fraude cognita, parentes & filia cum alijs doli conſcijs (quibuſcum noctu comeſſatum erat, ac munera ab exteris oblata, egregiè dilapidata) in carcerẽ ducti, quæſtionibus ſubditi ſunt. Venter in prætorium ad rei memoriã delatus, aſſeruatur. Mater ad ueritatis confeſsionẽ torturis adacta, inſtinctu ſathanæ & auxilio, quicquid id eſſet doli, ſe annos quatuor conſtruxiſſe cauſa lucri, faſſa eſt. Condẽnata igitur, fracto prius collo, palàm eſt flammis abſumpta: Filia autem, perforatis prius ignito ferro genis, muro incluſa, ad perpetuos damnata carceres: Pater, qui ſe ab uxore & filia ad illum diem quo flagitium manifeſtaretur, deceptum fuiſſe, ſanctè affirmabat, liberè dimiſſus, quemadmodum & ex reliquis captiuis pleriq; inſontes inuenti: alij uerò pro delicti grauitate puniti.

Anglicanæ uirginis ieiunium commentitium

Hucnõ immeritò accedat id quod de quadã uirgine Anglicana refertur, quæ ob continui ieiunij famam, numinis loco habita obſeruataq; eſt, ut Angli non alio nomine illam nuncuparint, quàm Holi met de Kent, hoc eſt, ſacram uirginem Cantuariẽſem. Hæc ſiquando cibãda eſſet, ante ſummum altare in templo prouoluta in genua, panem miſſalem ex alto quaſi cœlitùs deſcendentem ad ipſius os in alimoniam ſumebat, alijs in templi parte poſtica miraculum reuerentia ſingulari, imò ad ſtuporẽ ſpectantibus. Hac ſola ſpirituali eſca ſuſtẽtari ſe, & bona frui ualetudine, citra ullius uictus acceſsionem, gloriabatur: interim & inſignem quoq; uitæ innocentiam ſanctitatẽq; præ ſe ferebat, ut tam à Rege & regni primoribus, quàm ab alijs cuiuſuis ordinis hominibus religioſè uiſitaretur. Nec exigui temporis, actus huius fuit epitaſis. At quid fit? Quemadmodum iuſtiſsimus Deus ad quarũcunq; illuſionum ſacrarũ præſtigias non perpetuò cõniuere ſolet, ſic tandem & huic fabulæ cataſtrophen ſtatuit. Quapropter ſiniſtra ſuſpitione Regi iniecta, ex eiuſdem mandato in illam inquiritur. Legati regij monaſterium, ubi illa tunc temporis morabatur, ingreſsi, religionis ergò eò perueniſſe putabantur. Verùm ab ijs ſecluſa mox, cuſtoditaq;, famem ne triduum quidem perpeti ualuit: ſed quę infirma eſt muliercularũ conditio, dolum haud difficulter eſt cõfeſſa: panem nimirum miſſalem per fornicẽ templi demiſſum, capillis fœminarum tenuiſsimis alligatum, eoſq; nõ potuiſſe obſeruari ab ijs qui longinquè panem ſpectabant: adhæc, ſe interea ſemper lautè ſeorſum uixiſſe cum abbatibus ad quos diuertebat, quibus etiã familiarius, coniun-

ctius, uel potius carnalius fruebatur. Circiter tres etenim fuere (niſi memoria fallar, uel is falſus fuerit, qui rẽ uerè geſtam retulit) in diuerſis cœnobijs, ac in unoquoq; menſes aliquot hiſce ludibrijs dementabat illa quoſcunq;. Tandem dira morte pœnas dedit, ueluti & abbates, ac monaſteria diruta.

Venetianæ uetulæ abſtinentia. Hic locum meretur quoq; famoſa quædam uetula, quæ ut peculiari angelicæ ſanctitatis opinione Perfectionis Regulam recenter inſtitutam cõfirmaret Venetijs, duo ſibi ampla comparauit eiuſdẽ formæ uolumina: quorum alterum Bibliorum erat, alterum ciſtula clauſulis uelut liber adornata, quam depreſsis lagunculis uinọ maluatico plenis, tum & martijs panibus ab ipſa ex caponum perdicumq; pulpamentis, ſaccharo & amigdalis ritè apparatis, infarciebat. Hiſce duobus libris pulchrè inſtructa, in cellulam ſe recipiebat abdebatq;, religioſam ſcilicet agens uitam plerunq; dies quinq; aut ſex contemplatione uaria, & alteris illis Biblijs uigilanter lectitandis, donec quicquid in ijs deliteſceret myſterij euacuaſſet: nec ſanè interea temporis quicquam aliud cibi aut potus guſtabat. O dignum memoria miraculum, ô myſtica abſtinẽtia. Quid tandem? In hoc religionis arcanæ exercitio perdurat, donec myſterio reuelato, multisq; inuentis literis amatorijs, palàm à magiſtratu exilio puniretur.

Trium puellarum ... Vianæ adhæc ſub Brederadio circa

omni cibi & potus uſu filiam iuuenculam annos ſeptẽdecim abſtinuiſſe affirmabat, deinde ad priſtinam uictus rationem rediſſe. At nulla fuit inquiſitio facta, nec quidem de falſitate dubito.

Cæterũ hæc à me ſcripta eſſe, quòd ieiunio aliquid derogatum uelim, nemo ſuſpicetur: quum hoc ſolùm mihi ſtudio fuerit, ut quemadmodũ in ſathanæ præſtigias ſex in lucem editis libris inquiſierim, ita & nũc ſacris hominum impoſturis oculatius attẽdere uoluerim. Ieiunium etenim uerũ, ſum mo à me loco, ſi ab ullo alio, habetur, uti certè debet. Nam, Athanaſio teſte, morbos ſanat, deſtillationes exiccat, dęmones fugat, malasq; cogitationes expellit, & mẽtem nitidiorem reddit, & cor purgatius, & corpus ſalubrius, & ad thronum Dei ſiſtit. Colophonis autem uice auream Cypriani ſententiam ſubiungere uolui: Ieiunium, inquit ille, ſi diſcretione regatur, omnẽ carnis rebellionẽ edomat, & tyrannidem gulæ ſpoliat & exarmat. Ieiuniũ extraordinarios motus in cippo claudit & arctat, & appetitus uagos diſtringit & ligat. Ieiunium ſi humilitate ornetur, ſeruos Dei cõtemptores mundi efficit. Ieiunium carnes azymas mundat & ſolidat, & putredines quę ex adipe prodeunt, conſumit & ſiccat. Ieiunium ſcripturarũ delicijs paſcitur, cõtemplatione reficitur, gratia ſtabilitur, cœleſti pane nutritur. Danieli in-

Ie... po... *D. Cypriani ...*

RERVM ET VERBORVM HOC LIBRO memorabilium INDEX.

Prior numerus paginam, alter lineam denotat.

A.

ABdiæ locus de Hermogene mago 22.18 de Simone Mago 20.40
abnegãtum quot ſint ſpecies 87.2
abnegatis an ſit uia reſipiſcentiæ 36.13
Achabus Iſraelitarum rex ad idolorum cultus perductus 28.43
actionum criminalium probationes oportet eſſe clariſſimas 81.10
acum æneam mulier quædam deglutit 72.36
acus & aciculæ ore eiecta, an in corpore fuerint 69.27
Adam & Eua cur leuius à Deo puniti ſint 94.20
Aegyptij idololatræ & organa ſatanæ 12.1 miſere uexati à ranis & pediculis 14.2
Aegyptiorum incantatorum nomina 15.5
aerem nullo modo à Lamijs turbari poſſe 49.10
in Aere concitando quomodo à dæmone illudantur Lamiæ 49.16
Alciati ſententia de Lamiarũ confeſſione 84.15
Alexandri Traliani locus 70.37
Ambroſij locus de Simone mago 20.45
amore furentes quales ſint 85.16
Anglicanæ uirginis ieiunium commentitium 132.37
animantia an naturalibus morbis uariè affligi poſſint à Lamijs 76.10
Anquirenſis concilij decreta de Lamiarum confeſſione 85.31. & 87.35
Antonij Aegyptij ieiunium 112.19
Antonij Beniueni locus 70.36
Apoſtatarũ quot ſint ſpecies 87.2
Apulei metamorphoſis 58.4
Aquarum Aegyptiacarum transformatio 11.36
Arioli cur ab eccleſia ſint eliminandi 87.30
Ariſtotelis locus 43.40. & 57.2
Arnoldi Vuieri ieiunium 114.46
arteria aſpera 70.16
aruſpices cur ab eccleſia ſint eliminandi 87.30
Athanaſij locus de Hermogene mago 22.22
Auguſtini ſententia de Lamiarum confeſſione 85.38 de ceremonijs Lamiarum 40.31 de Samuelis apparitione 20.8
Auiti Alcimi locus 14.46
auuetenamento quid ſignificet 27.19

B.

BAbylonis caſus & interitus cauſa 21.30
Baldi ſententia de confeſſione 83.40
baptiſma in homine abnegato an extinguatur 35.40
baptiſmatis uim non poſſe externa exemptione tolli. ibid.32
Barbara Vnnenſis 108.37
Barbaræ Vnnenſis ieiunium detectum 121.20 imago & uiua effigies 124.10
Bartholomæus Calckreuter medicus 107.36
βασκαίνειν & βασκαίνειν quid ſignificet 27.22
Baſtiani Landi locus 26.22
Beatorum animæ magorum carminibus non obediunt 16.21
Bernenſium in terra tredecim infantes à Lamijs deuorati 32.10
Bononienſis magiſtratus quo pacto lamias puniat 87.44
Briſiaci ſaga inuenta, quæ miris modis iuuenculam inſtituit 91.40

C.

CAecus quidam à diabolo factus 67.35
calculus ore reiectus 70.41
calor uitalis 113.13
canonici Leodienſis ieiunium 126. & 127
capitalia quæcunq; Moſes fecit, an à magiſtratu ultimo quoq; ſupplicio puniri debeant 95.7
carnibus ueſci diebus à pontificibus Rom. uetitis quando liceat 39.3
carnifex quidam in Vuirtenbergico ducatu pabula pecorum inficit 76.45
Caſparus Hoffman medicus celebris 107.37
Caſſali in urbe ueneficium horrendum accidit 24.35
Celare crimina in confeſſione, an ſit contra fidem 40.5
ceremonijs non poſſe occidi pueros 36.30
Chamæleon 114.14
Chaſaph quid ſignificet 26.8
cholera morbus unde oriatur 71.30
cholerico ex uapore qualia ſomnia exoriantur 44.3.15
chriſmatis uim non poſſe externa exemptione tolli 35.32
Chriſti ieiunium in deſerto 111.39
Chriſtianiſmi abnegatio à Lamijs & ueneficis quo pacto fiat 32.15
Chryſoſtomi locus 16.44. & 57.6
Ciceronis locus 57.1
Cinops magus 21.6
Circes omnipotentia 58.2
Clementis locus de Simone mago 20.44

clauum cuidam uiro uiuo exciſus 75.44
claui ferrei ore reiecti an in corpore fuerint 69.25
Concilij Anquirēſis decreta de Lamiarum confeſsione 85.31
concubitus dæmonis & Lamiarū an & quo pacto fiat 53.9 & 102.2
concumbentes cum iumento, Moſis lege eſſe puniendos 103.11
confeſsio debet cōtinere uerum uel poſsibile 83.26
confeſsioni ſoli maleficorum ſtandum non eſſe 80.30 mente læſi non eſſe ſtandum 81.3 in criminalibus non eſt ſtandum 83.37 quatenus ſit ſtandum 84.7
confeſsione ex ſola non iudicatur, niſi in hæreſi 83.40
confeſsiones torturis expreſſæ ſæpius erroneæ 82.34
Conſtantini lex de Mathematicis & maleficis 52.3
Cornelia lex de ſicarijs & ueneficis 27.8. & 89.40
Cornelia patritiæ gentis Romæ uenefica 23.44
Cornelij centurionis ieiuniū 112.9
corpus humanum cur abſq; alimenti acceſsione tempore longo conſiſtere nequeat 114.8
in Corpus Lamias non poſſe res duras ingerere 74.13
corpoream materiam dæmonis potentiæ non ſubijci 11.15
Creare ſolius Dei eſt 13.10. & 59.10
Cypriani ſententia de ieiunio 134.27
Cyrus Babylonem ſub Perſarum imperium redegit 21.32

D.

DÆmon an manum uerè in ſtipulatione extendat 31.25 cur aliquando futura prædicat 46.10 cui qualitati & humori ſe libentius inſinuet 44.13 quàm miris & uarijs modis maleficio homines afficiat 65.5 quibus rationibus uim imaginatiuam uitiet 42.20 quibus artibus muliebrem ſexum decipiat 41.30 quomodo ſe in choreis transformet 54.40 quomodo in corrūpenda phantaſia naturalibus quandoq; pharmacis ſoporiferis utatur 46.25 quo pacto lamias & magos deludat. ibid.10 quo pacto ſe in formam Samuelis tam ex improuiſo transformârit 17.18 unde Sauli futura prædixerit 18.33
dæmonis aſtutia quanta ſit 81.34 & Lamiarum concubitus quo pacto fiat 53.9
dæmonem per ſe operari maleficia 68.17
dæmonum digitus quid ſit 14.11 illuſionibus qui homines maximè expoſiti ſint 41.5 præſtigiæ quo tempore ceſſare cœperint 4.14. item quales & unde oriantur 14.11
Dioſcoridis locus 27.14

E.

EGeſippi locus de Simone mago 20.45
Elias Theſbites ab angelo cibatus 111.30
Eliæ Leuitæ translationi quæ fides ſit adhibenda 26.22
in Endor malefica an una ex Lamijs fuerit 15.26
Ephialtici quales ſint 85.16
ἐπῳδὸς magus 9.33
Equos quid ab eſu exterreat 77.33
Eslingenſis uirginis impoſtura 129.30
Euſebij locus de Simone mago 21.1

F.

FAunorum ludibria 85.20
Fidem Chriſtianam abnegantes 34.36
filij Dei qui dicantur 53.45
Fœcunditatem quid impediat 61.2
fœminæ cur maximè dæmonum illuſionibus expoſitæ ſint 41.15
Fruges nullo modo excantari poſſe 49.11. & 53.39
frugum ſterilitatem ob noſtra peccata inferri 77.40
Fulgoſij locus de Simone mago 21.2

G.

GAllinarum peſtes 76.28
Galli cuiuſdam abſtinentia 129.25
Geneuæ uiri & fœminæ ueneficia ſpargentes, ſupplicio afficiuntur 25.17

Gulielmi principis clementia 122.5

H.

Habar & Hartumim quid Hebraicè ſignificet 15.11
Hæreſeos in confeßione quomodo ſit agendum 83.40
hæretici quomodo ſint reducendi 88.35
Henricus Bruſcus medicus celebris Roſtochij 108.1
Henrici ab Haſſelt ieiunium quadraginta dierum 125 interitus 126
Henrici Inſtitoris opinio de concubitu dæmonis 54.30
Hermogenes magus 22.20
Heſter ieiunium 115.8
Hieronymus quid teſtetur de Ieſu Syrach ſcriptis 19.12
D.Hieronymi ieiunium 112.21
Hippocratis ſententia de ieiunijs 114.30
Homicida qui ſit dicendus 91.41
homicidiũ à Lamijs quomodo fiat 94.5
homicidij duo genera 94.5
homines cur ex dijs ac uirginibus naſci fingantur 56.4 quatenus lædi poßint à Lamijs 60.30 qui maximè illuſionibus artibusq; dæmonum ſint expoſiti 40.41.& 41.1
homines quàm miris & uarijs modis dæmon afficiat 65.5 ullius rei potentia in beſtias tranſformari nequire 56.25
Horatij locus 38.10
Humidum ſubſtantificum 113.14

I.

Iabeſtium ciuium ieiunium 112.3
Iacobus dominus in Lichtẽberg ſuggillatus 74.15
Iacobus Schadius Pomeraniæ ducum medicus 107.28
Iacobi Sprengeri opinio de concubitu dæmonis 54.30
Ieiunari utiliter die Dominico 38.25
ieiunium ad quid utile 134.16 ſex dierum cuiuſdam 127.12
ieiunij exemplum horrẽdum. ibid. ficti & detecti puellæ Vnnenſis enarratio 115.13 potentia & commendatio 134.12
ieiunium ij qui creſcunt, cur difficulter ferant 110.30 longum qui perferunt 111.20 quot diebus homo ferre poßit, ſecundum Hippocratem, Plinium & alios 114.30
ieiuniorum commentitiorum exempla 127.29 longorum uaria exempla 111.29 uerorum aliquot exempla 125
Ieſu Syrach authoritas quantum ualeat in ſcripturis ſacris 19.11
Imaginatio quid ſit 43.36
imagines ſomnorinæ 45.1
imaginoſi quales ſint 85.18
Imperatorum conſtitutiones de magicis libris 22.25
impotentiam quid adferat 61.9
impotentes quomodo fiant arte magica, & qua ratione curari poſſint 102.20
imprecationes malæ inefficaces 63.20
Incantamenta an ualeant aliquid 21.46
incantare quid Hebraicè ſignificet 15.10
incantatores cur ab Eccleſia ſint eliminandi 87.30 infames magos dici omnes 29.41 ſenatuſconſulto Italia pulſi 22.7
incantatorum quibus in locis ſacræ ſcripturæ mentio fiat 8.20
incubus unde fiat 54.36
infantes tredecim à Lamijs deuorati 32.10
infantes ceremonijs occidi non poſſe: nec mortuos infantes ex ſepulchris effodi 36.30
Ioannes Barcholt legum doctor 108.4
Ioannes Cimiſces Orientis imp. ueneno ſublatus 24.30
Ioannes Knoblochius medicus 107.40
Ioannes Periſterus Theologiæ doctor 108.7
Ioannes Vlmerus pater Margaretæ Eslingenſis 129.30
Ioannis Baptiſtæ ieiunium 112.11
Ioan.Franciſci Ponziuibij ſentẽtia de Lamiarum cõfeßione 83.20
Iob quantis maleficijs à diabolo ſit affectus 65.31
Fl.Ioſephi locus de ueneficis 26.43
Irenæi locus de Simone mago 21.1
Iſiodori ſentẽtia de Lamiarum confeßione 87.35
Iudæorum ieiunium 112.6
Iudithæ ieiunium 112.5
iumento qui cõcumbunt, morte eſſe plectendos ex Moſis decreto 103.11
iumentorum peſtes unde 10.76
iuris Pontificij ſententia de iudicijs 82.10
Iuſtini martyris locus de Samuelis apparitione 20.6 de magorum Pharaonis miraculis 14.39

K.

Kimbi opinio de Samuelis apparitione 19.44

L.

Lac glutinoſum an à Lamijs reddatur 63.2 è iuncis non emulgetur 62.29
Laban quid ſignificet 15.23
lapillus ore reiectus auellanæ magnitudine 70.35
lamia quid ſit 30.5
lamia innocens aquis ſubmergitur 99.30
lamiæ cuiuſdam confeßio falſa deprehenſa 86.40 cuiuſdam memorabilis hiſtoria 3.48
lamiæ quæ uulgò attribuantur 30.25
lamiæ quæ in ſacris ſcriptis uocentur 8.4 plus centum combuſtæ 84.25 in terra Bernenſium tredecim infantes deuorant 32.10 an aliquid ſua ſponte faciant 29.30 an ſint ſecundum legem Moſis, tanquã homicidæ interficiendæ 101.10